

EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
D.N. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, ceterz,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Nae, 4

JOHANNIS JACOBI  
LUNGERSHAUSII,  
In Acad. Jenens. Prof. Publ. & Eccles. ministr.  
**JUDICIUM NATURÆ**  
**DE**  
**NATURA SCRIP-**  
**TURÆ.**

DUABUS PARTIBUS COMPREHENSUM

ubi simul

IN ALTERA PARTE

quæstio momentosa ventilatur:

*Quo pacto NB. judice ratione, partim proba-  
biliter, partim infallibiliter aliquis queat es-  
se certus, quod, si scriptum aliquod a D<sup>EO</sup>  
pro salute hominum peccatorum tradi-  
tum sit, illud revera sit a D<sup>EO</sup>  
traditum?*

---

JENÆ, Typis CHRISTOPH. KREBSII.  
Anno 1708.

*doc. 4*

Illustrissimo Domino  
**DN. DANIELI**  
LIBERO BARONI  
**DANCKELMANN,**  
SACR. REG. MAJEST. BORUSS.  
Consiliario status & belli intimo  
Hagio-synedrii Præsidi Eminen-  
tissimo  
Directori redituum primario &c. &c.  
V I R O  
De Republ. Ecclesiastica pariter & civili meritissimo  
**DOMINO AC MÆCENATI SUO**  
Gratioso  
vitam & felicitatem!



# ILLUSTRISSE BARO, DOMINE GRATIOSE.



Eniam dabis in um-  
bra Academica la-  
titanti , si *Illustriß.*  
*Excell. Tuam, in ex-*  
celso agentem, ad has  
Musarum officinas invitare au-  
)( 2 deat.

deat. Quando nimirum Tuis au-  
spiciis florem suum ac incremen-  
tum tantus eruditorum exercitus  
referre consuevit ; & mihi operan-  
dum duxi ut gratioſo patrocinio  
Tuo innotescerem. Neque enim  
peccatum Tuum sublimius ita occupa-  
re possunt negotia publica, quomi-  
nus & ea, quae ad scholas, maxime  
pietatis, pertinent, in partem cura-  
rum veniant. En igitur præsen-  
tem opellam, fundamentum pieta-  
tis, i. e. Scripturæ S. originem divi-  
nam, exhibentem. Huc scilicet ul-  
timo redit cuncta generis humani  
salus, ut de Scripturæ nostræ cœle-  
ſti

sti inspiratione simus quam certissimi: hoc vero & redeunt hodie omnes Diaboli, Atheorum & Epicuræorum technæ ac machinatio-  
nes, ut de Palladii hujus divino or-  
tu maxime hæreamus dubii, maxi-  
me ancipites: Dum enim argumen-  
ta, queis divinam Scripturæ origi-  
nem probamus, probabilia tantum  
(quæ certitudinem saltem mora-  
lem gignunt) nobis suppetere exau-  
diunt; dumque certitudinem physi-  
cam & infallibilem, circa hoc ne-  
gotium, non nisi ex interna Spiritus  
S. convictione nos repetere vident;  
**infirmo totum Christianismum ta-**

lo stare concludunt, convictionem  
istam Spiritus S. vanam tantum  
persuationem afferentes; cum &  
Turcæ de suo Alcorano eandem ja-  
gitare queant. His igitur infen-  
sissimis ac totius Christianismi cir-  
culos turbaturis homuncionibus  
non satius obviam iri posse autu-  
mo, quam si ex judicio rationis, cu-  
jus volunt & ipsi videri participes,  
quæramus: quo pacto tum morali-  
ter tum physice certus quispiam es-  
se posfit, de divinis alicujus libri na-  
~~t~~ralibus, posito quod ejusmodi li-  
ber ad salutem hominum peccato-  
rum a DEO traditus sit? ubi ipsa  
fana

sana ratio deprehendetur non so-  
lum argumentis nostris probabili-  
bus a surgere; sed & ingenue cogi-  
tur fateri, quod non alia via ad cer-  
titudinem physicam de divina hu-  
juscemodi Scripturæ origine ex-  
cogitari posfit, quam interna ipsi-  
us DEI convictio. Quæ omnia  
uberius diduxi in præsentî opella,  
quam quod gratiosa fronte exce-  
pturus sis, præclara pietatis Tuæ  
αC μεγαλοπρεπείας monumenta sperare me  
jubent. Egovero, circa hujus anni  
exitum instantisque auspicium,  
**ILLUSTRISSIMÆ EXCELL.**  
**TUÆ**

TUÆ pristinum istud feliciter an-  
nare ac perennare humiliter accla-  
mo

**ILLUSTRISSIMI NOMINIS TUI**

Dab. Jenæ d. 9. Dec.  
Anno 1708.

*devotissimus cultor*  
**JOHANNES JACOBUS Lüngershausen/**  
Prof. Publ. & Eccl. Jenens. minist.



## PROOEMIVM.

**S**icut Deus & Natura nihil faciunt frustra, ita Natura & Scriptura haut quicquam dictitant temere; quin limpidos hos fontes, si uno alveo placide concludas, egregia salubritas in universum rerum humanarum orbem redundabit: prout & contra, turbamina si misceas, vah! quanta pernicies? Inter varia vero Scripturarum genera ecquæ sit genuina ac vere *Scriptura*, desceperat genus humanum. Audiamus igitur *Judicium Naturæ* (i. e. rationis nudæ sed rectæ) de *natura* (seu essentia & causis) *Scripturae sacræ* scil. seu res sacras homini peccatori ad *sacratissimum finem beatitudinem & ternanimirum*, divinitus revelantis; idque una parte, audiamus ejusdem *Naturæ Judicium de proprietatis signis*, & tractatione illius *Scripturae*; idque altera parte, Cujus rei expositionem in præsentia.

A 3 dum

dum molior, opus invado viribus meis multò  
majus, cum quem sequar omnino, non deprehen-  
dam. Fretus interim Deiauxilio, in sanctam ejus  
gloriam vela pando. Duabus vero sectionibus  
prior hæc pars expedietur : altera tradet *Ju-  
diciū rationis rectæ* : altera *corruptam gen-  
tilium rationem*, circa hoc negotium, exhibebit.

## SECTIO I.

### Rationis rectæ sed nudæ , circa præsens momentum, sententiam ex- hibens.

#### §. 1.

**N**itio statim scrutanda venit quæstio An sit ?  
An scil. detur ejusmodi revelatio scripta? Hanc  
ut eo facilius assequamur, juvat disquirere an-  
te, an vel simpliciter aliqua ad salutem homi-  
num peccatorum detur revelatio ? quo co-  
gnito ulterius licebit : An detur scripta ?

§. 2. Naturam revelationis in genere intuenti-  
bus patet, quod omnis revelatio pendeat à veritate ob-  
jecti, quod si non datur, dabitur nec ista ; aut si de hoc du-  
bitet ratio, tantisper & de illa dubitabit. Ex fine autem, bea-  
titudine sc , & subiecto, peccatore homine, apparet quod  
objectum sit medium Deo conciliandi hominem per pec-  
cata ab eo avulsum, cuius natura & existentia rationi adeo  
obtingit impervia , ut ne possibilitatem quidem capiat.  
Rem spectemus intimius.

§. 3. Ni-

§. 3. *Nihil minus tolerandum est in rerum ordine,*  
*inquit Anselmus, quam ut creatura creatori debitum hono-*  
*rem auferat, & non solvat quod auferat.* *Nihil autem,*  
*injustius toleratur, quam quo nihil minus est tolerandum.*  
*Cum justitia DEI sit immutabilis, omnino necessarium*  
*videtur meritum seu satisfactio valoris sufficientis ad gra-*  
*tiam beatricem recuperandam: jam possibilitatem sal-*  
*tem hujus satisfactionis percunctans ratio, quocunque*  
*se vertat, non habet unde se expediatur, neutrius enim*  
*contradictionis partis aliquid immotum fundamentum*  
*sibi relicta videt.* *Affirmativam amplexura videt pec-*  
*cato rem æternum cruciandum, ob lassionem majestatis*  
*infinitæ, nunquam satisfacturum; possitne inveniri, præ-*  
*ter pœnalem, alia satisfactio ab ipso peccatore præstan-*  
*da, plane ignorans.* *Quod interim contritio solam cri-*  
*minum, & ne horum quidem omnium, cum non suc-*  
*currant, ratihabitionem, minime vero offendam DEI*  
*& obligationem peccantium ad satisfaciendum aboleat,*  
*satis demonstrarunt Venerandi Theologi contra Natu-*  
*ralistas.* *Conf. Mus. Disp. III, de Conv. c. 2 §. 77. p. 137.*

§. 4. *Porro nec certa est ratio, num possibilis sit sa-*  
*tisfactio ab alio.* *Iste enim alias, si sit homo aut spiritus*  
*purus, nec eam præstaret volens, repugnat enim Sanctum*  
*quempiam velle abjectum penitus esse a DEO; nec nolens,*  
*est enim contra justitiam, innoxium invitum plectere malo-*  
*summo & quidem ob pœnam alienam.*

§. 5. *Si posset ab alio fieri satisfactio, non nisi pro*  
*uno posset, omnis enim damnandus meretur summum*  
*malum, hoc autem pacto eo minus offerretur quisquam.*  
*Dicis? Quid obstat, quo minus dabile sit subiectum*  
*eiusmodi naturæ, cuius vi passio sufficientis valoris præ-*  
*stari*

stari possit ? Respondeatur, cum nec extensive seu ratione temporis, nec intensive seu ratione graduum intrinsecorum spectata infinitas passionis ipsius, uti dictum, locum habeat, certe infinitas valoris, deberet passioni inesse ob ejus subjectum infinitum, ( sicut alias a qualitate subjecti aliquis valor ejus adest actionibus ) verum hoc ipsum, cum nonnisi unum infinitum esse possit, esset DEus, Iesus vero & impatibilis, quique sic condonare videretur. Quomodo quæso Iesus sibi satisfacit proprie pro alio lèdente ? Quomodo impatibilis assumit naturam patibilem, unus in duabus naturis ? quæ omnia quidem a ratione nuda cogitari, an autem possibilia sint, an vero repugnant, penetrari nullatenus possunt.

§ 6. Dein fac certo constare, quod ejusmodi subjectum sit dabile ; unde autem patet, per immutabilem DEI iustitiam ejus meritum posse accipi ? utrum enim illud plus damni ( sicut fundamentum pœnæ statuant, ut, qui habuit plus lucri, recipiat plus damni ) quod ille, qui hoc perpessus est pro peccatore, ipsi peccatori imputabit, utrum inquam istud ipsi quoque iustitiae DEI loco proprii & a peccatore sustenti damni esse possit, ( cum constet, quod passionibus, quia sunt immediate ipsarū patientis partium substantialium, nihil magis patienti proprium sit ) Deus potius seipsum & iustitiam suam intime penetrans, quam ratio sibi relicta, licet recta, iudicat. Dico, *sibi relicta* : Hæc enim si fana sit, videt continuo rem iudicandam vites suas excedere omnimode, atque hinc suo se modulo tam provide metitur, ut hactenus dictis, quæ ad negativam vergere videbantur, nil quicquam commovereatur ; nondum quidpe, si affirmativa ex revelatione forte statuenda sit, clara contra-

di

dictione, in natura rei, emergente ; id quod Sociniana ratio advertat. Tamdiu sane nullam dignoscit recta ratio contradictionem, quamdiu terminos non plene novit contradictorios ; iam heic non de peccati, satisfactionis, justitia ac gratia &c. ratione tantum agendum, quin imo offunditur abyssus nature ac voluntatis infinita, omniq[ue] creaturae impervia, ad quam isth[ec] omnia collimant: Ecquis decreta Domini est perscrutatus, quis impertitus consilia ? Cæterum notandum adhuc contra Socinianos, quod nec justitia & gratia sint contraria, stricte dicta. Gratia sane non excludit quamvis satisfactionem, sed satisfactionem ejus, cui gratia remittit debitum, ut, quod ex gratia ei remittitur remittatur absque ejus merito ; unde non omnimode verum est, quod, cui satisfactum pro debito, is non remittat debitum ex gratia e g Debitor quidam sua culpa non est solvendo, adest vero aliis pro illo solvens ; sed fac pretium solutum esse ejusmodi, ut creditor non teneatur solutionem acceptare, libere tamen acceptet : annon posita hac satisfactione, gratia simul obtinet, salvis juris naturæ regulis ? Et certe quod gratiae condonatio & justitiae vindicatio simul penes eundem obtinere possint factetur ipse quidam Socinianus, dum hunc casum moraliter ponit : *Si quis injuriam fecerit vicario aut locum principis tenenti, ipse quidem vicarius lesori privatim injuriam condonat, vindicat autem, ut vicarius, qui fidem dedit suo principi se nullum scelus velles sinere inultum.* Hac tenus Socinianus, qui licet addat in homine forte *id fieri posse*, ostendit tamen justitiam & misericordiam in se ita non contrariari ut, respectu ejusdem objecti, in eodem subjecto simul stare non possint, dum exemplum simul

B

remit-

remittentis alteri eumque punientis affert. Quando vero putant Sociniani, si misericordia & justitia simul Deo competenter, in Deum cadere accidentia realiter distincta, errant ; nam aliud est reale, aliud est realiter distinctum : justitia & misericordia sunt attributa Dei realia, non tamen realiter distincta & licet non sint de essentia Dei, sunt tamen a parte rei ipsa Dei essentia, ut Metaphysici loqui amant. Vnde elucescit Socinianos, qui tamen rationis principia accurate tenentes videri volunt, circa sanioris Philosophiae fundamenta turpiter cespitare. Sed redeamus ad viam.

§. 7. Philippus Mornæus in tract. de Veritate Rel. Christ. c. 27. in hanc materiam incidens satisfaciendi rationem equidem e natura eruere satagit, verum rationi suæ frena justo laxius indulget. Nempe postquam supposuit, tanquam ante ex lumine naturæ demonstratum, hominem immortalem esse ; felicitatem hominis non in hac sed altera vita quærendam ; hanc vero in eo sitam esse, ut homo Deo in cœlis fruatur, quod tunc demum consequi possit, si eum in terris toto corde dilexerit & coluerit ; hominem porro peccatorem ab illo cultu & dilectione ac per consequens beatitudine infinito spatio abesse : pergit docendo quomodo miserrima isthæc creatura ad creatorem & finem suum, suis viribus, nunquam redditura sit , quod deducturus ulterius ostendit, ex uno peccato infinita poena & ex assiduis delictis infinite infinitis teneri suppliciis miseros peccatores : Iam huic malo posse quidem mederi misericordiam sed contraire justitiam Dei, ut incertum linquatur, quomodo fiat, ut utrumque verum maneat : Deus est infinite benignus & infinite malum odit ; superesse tandem ut

fa-

satisfactio interveniat, sine qua vacuum in mundo detur,  
 quod natura pati nequeat ; verum & hic requiri infinite infinitam satisfactionem, tanquam culpæ analogam,  
 unde novum obstaculum : hinc porro ubi demonstravit, quod homo nec mundum ( quem non teneat, qui-  
 que sit nihilum, quod , quamvis infinite multiplicatum,  
 infinito crimini satisfacere non possit ) nec se ipsum of-  
 ferre possit, quippe ingratum & rebellem, qui iram Dei  
 provocet magis & fodiat , quodque porro nec angelus,  
 creatura scilicet finite bona & plane obarata , interce-  
 dere possit, concludit tandem : *Deus ipse inter justitiam*  
*& misericordiam interveniat necesse est : Et sicut nos cre-*  
*avit primum, ita etiam recreet oportet, & ut in gratia*  
*sua creavit, ita & ab ira sua absolvat ; & ut sapien-*  
*tiam in creandis explicavit, ita eandem in restituendis ex-*  
*erat : & quidem amplius, si amplius dicere fas est, quod*  
*in prima creatione benignitati creatoris repugnabat nihil,*  
*in restauratione & redintegratione resistit malignitas no-*  
*stra, quantum potest. Ex ex abysso rursus in abyssum ! (At*  
*laus Deo ! abyssi gratia ha sunt ) Quis ergo mediator ille ?*  
*Deus erga Deum ? Infinitus erga infinitum ? qui &*  
*syngrapham infinitam cancellare & panam infinitam pla-*  
*care possit ! Hactenus bene : sed his ita expositis per-*  
*git & rationum vi declaratum ait, tres in Deo personas*  
*subsistere in unitate essentie coaternas & ex omni parte a-*  
*quales : Patrem ut principium & fontem, Filium ut ver-*  
*bum & sapientiam Patris, Spiritum S. ut vinculum, dilec-*  
*tionem & amorem Patris & Filii ; tandem infert per*  
*Patris Sapientiam i. e. secundam personam, homines sicut*  
*creatos ita recreandos, & cum ad Filium hereditas jure*  
*pertineat, nos ex ipsis consensu in hereditatem cooptan-*

*dos &c. ubi rationis cancellos egrediens, non solum quod  
in c. 5. l. c. de Trinitate rationum vi evictum putat, non  
assequitur, sed etiam in alia omnia imprudens prolabi-  
tur, non tres sed novem, imo infinitas numero, perso-  
nas per suas hypotheses ex Deitate deducturus &c. Conf.  
B. Mus. Disp. advers. Kekermannum.*

§. 8. Incerta sic affirmativa contradictionis parte,  
incertam sponte se dat negativa, quæ, cum præterea sit  
falsa, teste Scriptura, nec potest esse certa rectæ ratio-  
ni, quippe quæ revelationi tantum abest ut contradic-  
cat, ut potius ad ejus scrutinium & obsequium, ob ante-  
te asserta, efficacissime impellat. Ista etenim, si beatifi-  
tati suæ paulo curatius attendens Paganus ex natura &  
principiis suis intra pectus volvat, concipiatur oportet con-  
tinuo dubium urgentissimum, cuius, tanquam circa salu-  
ris & pernicie humanæ extrema versantis, molestia ma-  
xime naturali ad coelestem revelationem, viribus, queis  
intime pollet mortalitatis, indagandam necessario impelli  
arbitramur.

§. 9. Ut autem inter illud revelationis scrutini-  
um tum dubii istius, de quo hactenus, tum ipsius itine-  
ris molestiam fallat anhelans ad consilia Dei abscondita  
peccator, latius quoddam natura suppeditat ratiocini-  
um, quo tanquam signo bonæ spei erigatur & velut e-  
ximio scipione tantisper nitatur? Expendat infelix ille,  
ut primum peccando læsa Majestatis divinae crimen admis-  
sum sit, invisum se factum omnimode Summo Numi-  
ni & morti proin æternæ obnoxium: consideret sei-  
psum, & ex his binis libris pernoscat, quæ spem reve-  
lationis ac salutis fadere queant. In macrocosmo natu-  
ras sensibiles, in microcosmo sensus; in illo theatrum,

in

in hoc spectatorem ; in illo convivium ab omni re-  
instructum , in hoc deprehendat convivam . Quid re-  
stat , quani prona ut concludat sequela , in mutuos usus  
haec esse creata , ita tamen ut mundus major sit propter  
minorem seu hominerh , non contra , deficiente scilicet  
officiorum adæquata vicissitudine & opum terrenarum  
plenitudine ? Esto vero alius scopus mortaliuum , cum  
frustra nec conditi sint ipsi , nec frustra desideria summi  
boni i. e. infiniti ; hic igitur existit solus creator : quan-  
doquidem nunc creatura adversus conditorem rebellis  
scopo suo , sine spe restitutionis , excidat , quid heic fu-  
perat ? nisi ut illico pessum eat mundus , ira vero Dei æ-  
ternum conflagret homo : Cur autem non dudum &  
nos & mundum infinita absunxit justitia ? mundum ; no-  
stra utique causa conditum : nos ; quibus nihil inest ,  
nihil supereft , quod non ad iram Dei ardeat , quod eam  
non accendat ? En signum bonaæ spei ? At inquis :  
Quid si sint in orbe , quos nescias , boni & sancti , quo-  
rum bonitas hoc universum sustentet ; Esto sane ! sint  
boni : imo sunt : sunt quos inquiras & a quibus re-  
euperandæ probitatis revelationem sciscitere . Pergis :  
Quid si sint omnium omnino scelerum puri , omnis de-  
lictii omni tempore expertes ? Siccine vero placet ex-  
perientia tot seculorum obstrepere ? Euge ! perse-  
quere humani generis fluenta , penetrando ad ultima o-  
stia , retro gradiendo ad seaturiginem , si quam noris ;  
polluta omnia ac turbida videbis , per omnia secula istas  
inauditurus querelas : Video meliora proboque , deterio-  
ra sequor . Quin mirare cum Plutarcho : Homo , ajen-  
te , animal rationale est , Deus collocavit eum in mundo ,  
ut ipsum colat , ipsi serviat ; eundem etiam ad civilem so-  
cie

cietatem natura comparavit, unde ergo sit ut minus rationalis, magis divina voluntati legique adversus sit, quam ipsa, que ratione carent, bruta. Porro descendit in infantiam & nascendi sortem, qua expeditior videtur obtinere animantibus brutis, specta; varios cruciatus ipsamque mortem quare tenelli, si vel hi forte innoxii, appetant, inquire. Sed sunto propter quos mundus consistat, intemerata sanctimoniae; impii interim cur non subito abstrahuntur ad supplicium, si clementia ad poenitentiam invitatrix sit nulla? His ita pensulatis, quando hucusque sentis perennem hujus mundi harmoniam, continuam tot nascentium atque natorum hominum peccatorum seriem; age ex sapientia & bonitate conditoris speranda tandem salutis gaudia concipe; consilus omnino ac certus, eum, qui hominem cum obligatione cultus creavit, qui mortalium neminem conditori debitum exsoluturum cognovit, qui syngrapham omnibus adversam cancellandi modum omnes ignorare non ignoravit, eum, inquam, in aliquo terrarum loco, normam cultus a peccatore praestandi exposuisse, delendi chirographi mysterium sanctissimum mundo revelasse &c.

§. io. Mornæus noster l. c. c. 24. circa præsens negotium ita procedit: *Simul atque homo natus est, natu etiam religio in mundo, neque enim frustra nascitur; hec autem ab homine perfici non potest, cuius mentem ob sidet ignorantia, voluntatem perversitas & malitia. Fuit ergo pro religionis regula revelatio divina. Nam ut & de natura peribent Philosophi, deficit in necessariis nunquam, multo minus Deus.*

§. ii. Atque hoc est quod monet Apostolus Act.

17,27.

17. 27. ex eo quod moveatur & vivat homo, Deum inquire  
ri & inveniri posse, quod, pace venerandorum Theolo-  
gorum, deduxerim hoc modo : Si moveor & vivo ego  
plane impos mei, est utique in & a quo movear, primus  
motor : verum sic nondum satis perquisivi ac inveni  
Deum ; pergo ex principio Paulino : Si adest primus  
motor ac creator, colendus utique erat, a quo pendeo  
tum in essendo tum operando, secus ab ente illo perfe-  
ctissimo ac justissimo pessima mihi ultimaque imminent.  
Iam quæ vita mea ? Proh ! quæ crimina læsa ? Ni-  
hilominus moveor & vivo ad eum, qui debetur, interi-  
tum nondum abruptus : age, juvet quærere ulterius,  
an eum, qui tempora ignorantiae ac nequitiae hactenus  
dissimulat, medium forte reconciliationis ubicunque re-  
velantem palpare & sic plane pleneque conciliatum con-  
ditorem comprehendere queam &c. En hodegetam ad  
Deum & verbum Dei !

§. 12. Hic jam patescit ratio, cur nullus populus,  
teste experientia, in Theologia naturali acquieverit, sed  
revelationem mediæ expiatorii sentiens necessariam, nec  
everam tamen observans, falsam pro vera potius quam  
nullam amplexus sit. Ita fuere inter Ethnicos maxime  
Platonicos, qui peccatrici animæ ad Patrem coelestem re-  
dituræ incumbere videntes, ut positis fardibus κεναθρη-  
μένη τε καὶ πετελεσμένη (prout Socrates ap. Platon. in Phœ-  
don. loquitur) accedat, id ychementer operati sunt, ut  
certum expurgationis tenorem invenirent ; hinc alias  
virtutem contemplativam, alias activam, alias Jovis my-  
steria & rursus alias omnia hæc & alia gradatim ad ex-  
purgationem istam obtinendam necessaria confinxit; ubi  
tamen cuncti nihil magis profecerunt, nihil effecerunt,

nisi

nisi ut se mutuo destruxerint, & postquam disputationis  
 æstus deferuit, fassi fuerint ingenui si pervicaciores  
 paucos eximamus ) omnia illa lavacra effectu carere, quin  
 meras isthæc hominum opiniones & in utramque par-  
 tem disceptabiles esse; suam tantum , quam tuerentur,  
 sententiam plausibiliorum videri. Porphyrius equidem  
 ex providentia non incongrue conjicit, Deum, qui hu-  
 manum genus instruxerit omnibus necessariis , de hac  
 summe necessaria justificationis via procul dubio etiam  
 illi prospexit; verum si viam illam in religionis suæ  
 initiationibus, consecrationibus & mysteriis fictis inveni-  
 endam putat, frustratur genium suum. Hierocles iti-  
 dem religionem in studio purgationis perfectionisque  
 vitæ ponit, qua contingat conjungi & assimilari Deo ;  
 viam insuper præscribit ad illam purgationem, *ingredi-*  
*scil. conscientiam, scrutari peccata, confiteri apud Deum,*  
 quæ equidem non abs re, verum, si de oblatione pre-  
 trii expiatorii agendum, cespitat cum reliquis sacrorum  
 istorum scrutatoribus. Vid. Morn. l. c. c. 20. Interim  
 ne & heic sibi deesse videantur, ex rumore, quod Deus  
 subeat mactari sibi pecudes ; ut se mortem peccatis  
 debitam profiteremur, ineptuli hi miseræ pecudis cæde  
 ab omni nos scelere liberos pronuntiant : audientes  
 forte de homine pro peccatis mundi vitam tradituro, sua-  
 fu Diaboli in præposteram hanc superstitionem abripi-  
 untur, ut, ingravescente communi malo, hominem pa-  
 tent immolandum & civitatis regionisve sceleribus one-  
 randum ; hinc qui pluribus tenentur, candidati cru-  
 cis, videntur sui oblatione iram Dei expiaturi. Conf.  
 Luth. in gloss. ad 1. Cor. 4. v. 13. Imo innoxios quoque  
 pueros & intemeratas virgines aut quandoque sacerdo-  
 tes

tes ipsos in victimas datos fuisse & apud quosdam interiores Indos adhucdum dari testantur scriptores. Vid. Mendez de Pinto in Itin. Cæterum in sacrificio expiatorio quædam gentes, ut Lycophron & Hippoanax prohibent, olim hunc servarunt ritum, ut correptum turpissimum quemque ad locum constitutum deduxerint, caseum cum placenta & fucus siccos manibus gestantem, illumque septies virgultis sylvestribus verberatum lignis itid. sylvestribus combusserint, cineremque in mare projicerint. Hæc porro in expiatione dicuntur fecisse verba : *Sicut moritur istud animal in manu mea, sic moriatur in me omne vitium & omnis immunditia; vel sic moriatur & annihiletur tale vel tale malum sive incommodeum.* Item : *sicut effunditur sanguis bujus animalis, de corpore suo, ita effluat a me omne vitium & immunditia.* In holocausto dixere : *Sicut hæc oblatio igne isto praesenti consumitur, ita ut nihil remaneat ex ea; ita consumatur in me omne malum seu tale vel tale incommodeum.* Mos præterea erat, inter imprecandum etiam aram manibus contingere pro omnibus his qui sacrificii participes esse cupiebant, unde ap. Virg.

*Talibus orantem dictis arasque tenentem*

*Audiit omnipotens.*

*Et alibi :*

*Tango aras medios ignes & numina testor.*

Varia autem victimarum genera tenuere, ut Agonalia, Dapsa, Farreationes, Hecatomben, Hyacinthia, Armilustra, Amburbia &c. Apud Ægyptios 666. genera sacrificiorum fuisse dicunt, quibus stellis, velut animalibus divinam mentem participantibus, honores divinos statuerint. Vid. Agrippa l. c. En revelationum figura ! Julianus Apostata, rejecta vera, sibi suam fingens

revelationem hoc ipso figmento mysteria quædam veræ illius imprudens comprobat. De eo ita Mornæus c. 27. *Quia expurgandis hominum animis Dei interventu opus esse videt, Aesculapium Jovis filium per generativam solis viam sepe mundo manifestasse fingit & Epidauri primum, mox multis aliis locis apparuisse, ut, inquit, cum corpora curaret tum animas in rectitudinem restitueret. Et hinc colligere licet incarnationem filii Dei (quam tamquam minime possibilem nonnulli rejiciunt) impossibilem Julianovi sam non esse; quandoquidem Aesculapium Jovis filium, Deum, inquam, si Juliano credis, Dei filium (revera terra filium, quippe natum ex Coronide ab Apollinis sacerdote gravidæ, ipsiusque Apollinis, honoris causa suffragante mysta, concubitum mentita) non tantum incarnari potuisse, sed incarnatum fuisse tradit. Reliqua huc attinentia vid. in sect. secunda. Conf. Rom. i. v. 21. 22.*

§. 13. Cæterum cui tradita haec tenus de revelationis existentia nondum sufficiunt, audiat Beat. Dominum D. Baierum, Academiae hujus Palladium quondam, Praefidium & dulce Decus, in Theol. Positiv. Proleg. c. i. §. 14. n. (c) ubi ita differit: *Gentiles cum noscent esse Deum & animam humanam post mortem corporis superesse, dari quoque diversos status bonorum & malorum post mortem; homines vero ad peccandum maxime propensos esse & quotidie Deum offendere, neque habere ex Theologia naturali medium quo Deum placare possint, facile in eam cogitationem venerunt ut crederent, Deum, pro sua bonitate, peculiari revelatione viam & media salutis alio cubi ostendisse. Conf. B. Musæus in Introd. in Theol.*

§. 14. Cognita hucusque revelationis simpliciter talis existentia, expeditius nunc de certa ejus specie libebit

cebit percunctari. Est autem revelatio in universum duplex, alia immediata, alia mediata: illa, quam etiam inspirationem dixeris, sine peculiarium signorum beneficio objectum suum insinuat; haec autem per certa atque apposita signa rem suam intimat: utraque ad praesens momentum quin faciat non dubitat rationis particeps: audiamus interim ejus cultores: *Theologia*, ait Plato, non est ead. quæ ceterarum disciplinarum ratio, as fidua enim meditatione indiget: tum vero affatim illuminatur tanquam igne, qui postea accenditur & seipsum alit. Denique, inquit, nibi! divini nostra scientia asequimur. Aristoteles tritum illud Simonidis ad Hieronem laudat: *De rebus*, inquit, quæ præter naturam, soli Deo credendum. Jamblichus ait Pythagoram dixisse: *Constat facienda esse, quæ Deo grata sunt.* Si jam, quæ illa, quæras: *Profecto*, ait, *non possunt illa cognosci, nisi ab eo qui Deum ipsum audiverit, aut arte aliqua divina fuerit edocitus.* Alpharabius res, inquit, *divine & pia fide* credibiles altiorem, quam ceteræ gradum obtinent, quia ab inspiratione divina procedunt, & quia debilior mens hominis & tenuior ratio, quam ut ad illas attingere possit. &c.

§. 15. Uterque revelandi modus cum sit scopo praesenti accommodus, an hinc etiam uterque a summo Numinе adhibitus, an saltem alteruter, cum res sit facti, ratio nihil determinat. Interim revelationem mediata universaliorem immediatam dari probabile est, cum sine tot prodigiis (quæ in immediata fese offerunt, nec tamen præter necessitatem & experientiam ponenda sunt) fieri possit; nam, ajente Chrysostomo, *Deus vult humana industria pleraque fieri, ne alioquin homines babeantur*

*ut fl̄pites.* Circa hanc vero mediatam revelationem ratio ulterius colligit, eam signorum potius esse verbalium quam sequiorum, cum verba maxime a natura ad significandum & revelandum ordinata sint : illa verba sunt, infert porro, vel communius voce prolatā vel scriptura; si voce, vox illa est vel creatoris vel creature divinitus agitata ; tum hæc tum illa dabit aut violentiorem præter necessitatem, aut prolixiorē, aut etiam incertiorem omnibus salvandis voluntatem Dei patefaciendi ritum, cum vel cunctis beātis ista voce loqui creator, vel quam plurimi *geōπνευστοι* omnibus omnium seculorum hominibus adesse, vel audiens *geōπνος* alius alii edifferere isthac debeat, unde facillima primigenia revelationis corruptela &c. Satius igitur, communie revelandi medium atque torpentis humanitatis cœlestis solatium, relinquitur vox scripta :

SCRIPTVRA SACRA.  
MVNDI COLVMNA  
MORTALIVM VITA.

Macte isthoc solatio homo peccator ! exoscularū visitandæ patriæ spem miserrime viator ! Perge naturam Païladii hujus scrutari lætius, signa & causas rimari intimus, ne, si quā incidas in quæsitum, prætervehare impudens.

S. 16. Ex lege gratitudinis cumprimis, cui præclarum illud salutis monumentum acceptum referat, perquirit ratio ? Verum apparet illico, quoniam divinæ voluntatis abyssum non nisi scrutatur spiritus Dei, neminem quoque præter illum, quo delebetur *ἰλαστείω*, expressit. Quod & ipsum vidisse ante citatos Ethnicos patet ex S. 14. Factum exinde ut quicunque populis olim

lim religionem tradenter, Deum ejus autorem menti-  
rentur ; natura scil. inculcante , rationis scalas brevio-  
res esse, quam ut eo attingere possint : atque hinc ad  
antiqua oracula videas subinde pto vocare priscos Philo-  
sophos , de iis quæ ad religionem pertinent differentes.

§. 17. Quod si ulterius de certo tradendi scriptu-  
ras modo statuendum sit, ratio nostra pariter parum fi-  
nire audet ; cum nihil videatur obstare quo minus vel  
immediate digito Dei vel mediate ope creaturæ, sive per  
alloquium, sive somnum, sive visionem Ecstaticam, sive  
inspirationem immediatam, in hunc usum divinitus in-  
structæ, scriptio potuerit perfici. Divinitus, dico, in-  
structæ ; ausa enim rationis corruptæ propriis & natu-  
ralibus viribus ad divinum istud opus annitentis. Sect. II.  
satis loquetur.

§. 18. Ut de hac tenus acceptis certior fiat Ethnicus  
pergit exquirere ecquid vero impellere valuerit sanctissi-  
mum Numen ad tantum gratiæ pignus infensissimo pec-  
catorum gregi statuendum ? Hic non potest non conti-  
nuo se offerre infinita Dei bonitas, cui voluntatem Dei  
suo modo irritanti omne salutis revelatae momentum se  
debere submisse confitetur peccator. Quomodo quæ-  
so, si salva justitia Dei detur via, qua miselli isti a pue-  
ritia ad peccandum proni, viæ vero a peccatis se expur-  
gandi ignari, ad gratiæ pervenire queant, quomodo inquā  
exuberans illa misericordia corpori nostro de necessa-  
riis quibusque tam largiter prospiciens, non itidem ani-  
mæ tam anxie laboranti promptissimè subveniat ?

§. 19. Quando vero de causa revelationis ut scri-  
ptæ ( quam, velut maxime probabilem, ubi de viva voce  
GEOTTVVUS AV. nihil audiatur, revelandi modum, universali-

orem, uti in §. 15 dictum, ponit ratio 'quæratur potest de ea nonnihil ex §. cit. constare. Scil. viæ naturalis, qua alicui aliquid revelari solet, compendiositas respectu hominum multitudinis, vitæ brevitatis, verendæ corruptiæ, ingenii informandi imbecillitatis, memoriae infirmitatis &c. quodammodo partes suas h. l. ostendit.

§. 20. Amanuensem, si scriptio fuerit mediata, consentaneum est, fuisse hominem, utpote quem calamus potissimum decet, & cui cum homine magis convenit quam spiritui: hominem, inquam, quoque revelationis modo, quo de §. 17, dispositum, atque ab omni errandi periculo in actu scribendi immunem: quæ cæteroquin efficacia, quæ certitudo foret in illa Scriptura?

§. 21. Quo & quotuplici idiomate Scriptura nostra consignata sit, ratio rem pariter facti arbitriariam animadvertis nihil sciscere sustinet. Lingua interim genti illi, cui præcipue ac primitus revelatio obtigerit, familiari, sicque in aliud idioma tranmutabili, opus fuisse non abs re ex fine colligit. De deliramentis autem Cabballistarum, aut scriptura aliqua coelesti (quam linguæ Hebraicæ, quæ ideo sancta audiat, fundamentum asserunt) aut illa Malachim vel Melachim, per quas in celo descripta & significata cuilibet scienti legere, mysteria omnia putant, aut ea, quam dicunt transitus fluvii, aut etiam illis, quibus gentilium antistites ad arcana sua condenda utendum putarant, cuiusmodi Petrus Apponus ab Honorio Thebano traditam exprimit aliquam, (quales figuræ videsis apud Henr. Corn. Agrippam ab Nettefzheym l. 3, de occulta Philosophia.) nec rationi quicquam constat. Quod quæso ratiocinium, quod oraculum unquam ostendit, positione siderum certæ scripturæ

pturæ elementa exarare voluisse Creatorem, ad quorum  
figuram formatæ sint certæ gentis, maxime Ebræorum  
literæ, mysteriorum idcirco plenissimæ? Quid absurdius,  
quam cum Ebræorum Mecubalibus seu Cabbali-  
stis, ex literarum illarum figura & characterum  
formis, harumque signatura, simplicitate, compositio-  
ne, separatione, tortuositate, directione, defectu, abun-  
dantia, majoritate, minoritate, coronatione, apertura,  
clausura, ordine, transmutatione, colligantia, revolu-  
tione literarum, punctorum & apicum ac supputatio-  
ne numerorum per literas significatorum, explicatio-  
nen omnium, quomodo a prima causa profecta sint &  
rursus in eandem reducibilia, promittere, idque præter  
rationem, præter naturam & finem tum omnium lin-  
guarum, tum illius quæ præsenti negotio mancipata sit?  
Scil. mysteria Dei propalanda, arcana principum celan-  
da & ratio & revelatio clamitant.

§. 22 Rem nihilominus suam, cum primis de cha-  
racteribus coelorum, ne omnis fuci expertem & velut  
plane absconam relinquant, producunt figuræ coelitus  
conspectas, quarum fuisse dicunt latentia quædam signa-  
cula divinitatis alicujus harmoniam spirantia. Ejus ge-  
neris produnt signaculum Constantino M. visum cum  
lemmate: IN HOC VINCE. It, istud Antiocho Sote-  
ri oblatum in figura pentagoni, quod resolutum in lite-  
ras edicat vocabulum οὐαία i. e. SANITAS, quorum si-  
gnorum peritia utrique regum præclaram præstiterit vi-  
ctoriam. Sic nobile quoddam signaculum Judæ, ob e-  
am rem deinceps, ut monent, Maccabæi nomen sorti-  
to, cum Antiocho Eupatori ivisset obviam, divinitus  
oblatum jaſtitant, ejusque hanc figuram referunt  
in cuius virtute intellecta primum 14000, cum ingenti  
numero elephantorum, dein iterum 35000, hostium pro-  
strave-

straverit : asserunt enim hoc signaculum nominis quadrilateri representativum atque nominis 72 literarum, de quo alias, per æqualitatem numeri, memorabile symbolum : expositionem commodant ejusmodi : **וְכָלִים יְהוּרָה נַמְךָ וְכָלִים** i. e. Quis sicut Tu in fortibus Tetragramme ? Figuras tritum memoratorum signaculorum formatas vide apud Netreszheym I. c. Verum ut hæc vel maxime ita se habeant, ejusmodi tamen saltum a prodigiosis ad naturalia &c. natura hactenus non amavit.

S. 23. De styli ratione iam dispiciendum foret, sed & hic natura judicio suo ita moderatur, ut nihil temere effutiat. Inductionibus interim Platonicis, Syllogismis Aristotelicis, Elenchis Carneadis, Ciceronis Epiphonematis, Senecæ argutiis Scripturæ quicquam opus esse, tum ex natura dicendorum, tum habitu dicentis audacter pernegat sana ratio. Quorsum persuasoria, ubi dicentis autoritas omne argumentorum excedit robur? Hypotheses præceptoris æqui videmus ut accipiat discipulus, consilio medici ut acquiescat æger, leges principis ut vereantur subditus ; quo pacto igitur saluberrima dogmata, consilia ac leges creatoris non humillime exsculetur creatura, stupida, ægra, desperabunda ? Porro nec illic attinet verborum quicunque fucus aut phalerata dictio, ubi pulcritudo nativa superat ascititiam ; nudanda potius, quæ advertat fortius, ac trahat potentius. Gemma certe, quo eleganter est, eo auro & argento indiget minus, & veritas quo magis coloratur, hoc minus emicat. Elegans effatum Plessæi : *Qui nostras Scripturas sublimibus ac grandibus verbis imponere vult, perinde facit, ac si hominem quadratum, bene habitum, & apta oratione, oportet mutari nisi quantum possit.*

*partium dispositione decorum, grallis incidentem inducat,  
que proceritati nibil addunt, naturali proportioni demunt  
plurimum. Interea tamen dicta illa simplicitas nullos pla-  
ne Solœcismos ac Barbarismos Autoris imperitiam coar-  
guentes admittit, sicut ex adverso nec vivæ cujusdam, gravis  
ac venerandæ majestatis temperamentum renuit, quin po-  
tius velut divinum characterem exposcit ; ut vel hoc  
argumento insignem styli illius castitatem atque veren-  
dam aliquam sanctitatem sibi pridem promiserit ratio,  
imo si Demetrio Phalereo Theophrasti discipulo creda-  
mus, docuerit experientia : A Theopompo, ait ille, A-  
ristotelis discipulo se intellexisse, nonnullos, quod Scriptu-  
ras Iudaicas eloquentia Græcanica fucare voluissent, verti-  
gine repente correptos fuisse ; Et postquam Deum preca-  
ti essent, somno admonitos, ne res sacras & divinas com-  
mentorum suorum fuso depravarent & inficerent.*

§. 24. Quandoquidem ita de cortice (idioma pu-  
tarim) cognovit natura, non potest quin & ipsum petat  
nucleum : haut contenta intuitu arcuæ, ipsum rima-  
tur reconditum. Istud vero hactenus non potuit adeo  
delitescere, quo minus in frontispicio hujus opellæ sta-  
tim eminuerit. Sanctam diximus Scripturam nostram ;  
quænam illa sanctitas nisi rerum interiorum, viscerum  
sane divinorum, expositiō, misericordiæ ac justitiæ Dei  
per infinitam sapientiam temperatae patefactio ? Ecce  
thesauros scientiæ & sapientiæ, cui omne stupet acumen  
humanum ! En aureum illum ramum, cuius beneficio  
felicius atque Virgiliano illo in campos Elysios deveni-  
endum est ! Encorollas tribus subinde gemmulis insi-  
gnes ! Judex, reus absolutio : Deus, peccator, ex-  
piatio : Deus, homo, religio : Creator, creatura,

beatitudo. O ergo & Beneficus, beneficiarius, gratia-  
rumactio : Pater, filius, obsequium ! Summatim:  
quid credas, quei vivas, quid speres, uno heic noscitur  
obtutu,

§. 25. Præsentissimum verò istud hominis peccatoris re-  
medium, culpæ ac pœnæ expiatorum, palmarium ac uni-  
cum objectum est, quod sacra hæc pagina nostra oculis no-  
stris præ cæteris subjicit, eloquente idipsum Scripturæ na-  
tura hæc tenus tradita. Quando itaque superius dictum,  
quid præter revelationem, vel de possibilitate saltem ejus-  
modi reconciliationis sibi polliceatur natura, non certe ri-  
mabitur multum, si quædam limites suos supergredientia  
offendat, mirata potius sapientiæ isthæc ac bonitatis pro-  
funda, obsequium spondet devotissimum ; sicut & con-  
tra, si quædam culmo stramineo viliora deprehendat o-  
bedientiæ exercitamenta, gestit ea suscipere prompte,  
suspicere humiliter, idque in honorem legislatoris fa-  
pientissimi, potentissimi, optimi. Cætera, qua de obje-  
cto, præcipue primario, h. l. ex naturæ judicio dici po-  
terant, vide in §§. 3. 4. seqq.

§. 26. Nunc quis ille, quæramus, qui Optimo  
Numini usque adeo curæ cordique est, cui coelestia tan-  
ta dona confidenter prensare licet ? In proem. is audit  
homo peccator. Dignum patella operculum ! Is qui  
contra rectæ rationis dictamen designando, sicque in-  
infinitam Majestatem delinquendo, vel ad perfolutio-  
nem infinitæ pœnæ vel infinitæ satisfactionis obstringi-  
tur, nec tamen, quo pacto se exolvat, assequitur, is est  
cui λύτεγι ισόποτον summa Dei gratia summæ Dei justitiæ  
numerandum offert. Utrum autem indiscriminatim  
cuilibet peccatori illa salutis janua ex voluntate divina  
pate-

patescat, cum res ea sit liberrimi ac imperscrutabilis decreti Dei, nullum privato ausu Natura eloquitur ratiocinium, quin e revelatione certitudinis solamen eo sollicitus expetere miserrimum quemque jubet mortalium; quem etiam quoad hoc scrutinium ad caput bonæ spei deducit, dum, quid causæ subsit, cur animabus in eodem luto hæsitantibus idem impertiri nolit auxilium infinita bonitas, non videt; videt ex adverso corporum ubique sufficientem agitari coelitus curam. Multo minus verisimile asserit rudem plebeculam ab ejusmodi veritatis coelestis cognitione arcendam esse, cum & hanc discretione boni & mali tantisper gaudere ac Summum Bonum eodem jure, ac remotiorem quemque a vulgo, expectare certum sit, imo de styli simplicitate, ex §. 23. jam tum constet. Ut adeo impudenti superbia superstitionaque invidia prisci laborarint doctores, solenne istud ~~orationem~~ ingeminantes atque discipulis suis inculcant. Sermonem, inquit Mercurius, *tanta numinis maiestate plenissimum irreligiose mentis est multorum conscientie publicare, & Plato non vult populo invulgari quæ sacra & arcana in mysteriis sunt*: ita Pythagoras & Porphyrius sectatores suos silentio religioso consecrabant, & Orpheus ab his, qui sacris suis initiantur, iusjurandum cum terribili religionis autoritate exegit, ne secreta pietatis proderentur. Hinc & ad sacra Eleusinae Cereris initiati saltim admittebantur, pracone profanum vulgus procul esse jubente. Ægyptiorum volumina arcana suis referta ex charta hieratica, quam vocant i. e. sacrata conficiebantur, quam literis insigniebant plane ignotis: Macrobius & alii hieroglyphicas vocant. Apulejus de his ita: *Peracto sacrificio, de operis adyti*

profert quosdam libros literis ignorabilibus prenotatos, par-  
tim figuris hujusmodi animalium, concepti sermonis com-  
pendiosa verba suggestentes : partim nodosis & in mo-  
dum rotæ tortuosis, capreolatimque condensis apicibus, a  
curiositate profanorum lectione munita. Criminantur i-  
taque Numenium, qui Eleusinæ Deæ sacra interpretan-  
do offensam Numinum contraxerit ; somnia esse hinc a-  
junt, Eleusinas deas habitu meretricio ante apertum lu-  
panar prostantes, & cum admiratus esset, irate respon-  
dentes, ab ipso se aditu pudicitiaæ suæ vi abstractas & pas-  
sim adeuntibus prostitutas, quo ipso fuisse monitum,  
quod ceremoniæ deorum non divulgandæ sint. Perver-  
sum proin studium antiquorum semper fuisse legas, Dei  
& naturæ, ceu loquuntur, sacramenta ut involverent &  
variis ænigmatibus obtegerent : quod ipsum observa-  
runt & Indi, Brachmanni, Æthiopes, Persæ, &c. Imo le-  
guntur sapientissimi quique Græcorum & Latinorum de-  
liram multitudinem non solum suo sensui permisisse, sed  
& cum lupis forinfecus ululasse, sibi intus saniora canen-  
tes. Ita Plato, Aristoteles, Cicero &c feruntur sacrifi-  
casse ut vulgus, sensisse ut sapientes ; horum ille vel  
in testamento sacrificium legasse Cereri, hic ætate iam  
proiectior infamia Floræ sacra celebrasse. Adeo aliis  
clausisse iuvabat cœlos, quorsum nec ipsis patebat aditus.  
Mirum, quod non vel ab ipso huius mundi intuitu co-  
hibuerint misellos. Hoc universum, quid nisi magnum  
ac patentissimum Theologiæ Syntagma, cuius omnis cre-  
atura literas & voces suppeditat ? Tantum profecto  
abest ut sanctitas Numinis temeretur, si vel omnium in-  
sinuetur intellectui, ut potius convenientior hoc pacto  
instauretur pietas ; squidem ex indubio religionis prin-  
cipio.

cipio deceat utique NOSSE QVEM COLAS. Et curve-  
rum ac summe necessarium usum adeo tollat abusus?

§. 27. Sumime dixi necessarium usum illum, sc. qui  
vitam beatissimam, ac summum humanæ naturæ bonum  
concernat. Huc, huc tendit tota haec tenus tradita Scrip-  
ptura nostra: *huc redit omnis ejus natura & scopus; pec-  
catorum nim. hominem ut creatori læso atque eidem  
iudici ex integro iustum præstet atque hinc firmam in  
illo beatitudinis expectationem gignat.* Ab hoc fine ha-  
bet Scriptura nostra, ut sit ea, quam haec tenus tradidi-  
mus nempe peccatorum antidotum : *sanc&titatis prom-  
ptuarium : beatitatis documentum ac inconcussum firma-  
mentum.*

§. 28. Atque ita satis liquescere puto naturam Scrip-  
pturæ nostræ hisce limitibus sese finientem : *Scriptura  
peccatorum hominum salutifera est Scriptura Je&ovis&G.,  
digo vel divino vel probabiliter humano, idiomate intel-  
ligibili consignata, hominem peccatorem de rebus scitu &  
factu necessariis instruens, ut reatu culpa & pæna solitus,  
recuperata Dei gratia, justus vivat ac tandem finem sue na-  
turæ ultimum, nempe beatitudinem æternam, indultu crea-  
toris sui, consequatur.*

§. 29. En nobilem istum saluberrimæ Scripturæ  
tenorem ; en & placidam rationis ad revelationem de-  
rivationem ! Nunc quibus elucescat proprietatibus,  
queis se inquirenti cuique manifestet signis, cui subjaceat  
usui, tum qua explicationem, tum probationem, tum appli-  
cationem, dispicere pulcherrimum foret operæ pretium ;  
verum præsignem istam materiam, cum peculiare consti-  
tuat corpus, posteriori parti servabimus.

§. 30. Antequam ad sensa rationis depravatae abeamus, monendum adhuc puto, quod, licet, quæ hactenus dicta sunt, quæque in parte posteriore dicentur, ex sanæ rationis principiis omnino profluant, non tamen diffidendum sit vix quenquam mortalium tam defecata gaudere ratione ut, si Scripturarum Christianarum ignarus sit, ad hujuscemodi ratiocinia sua sponte deveniat, cum inter tot gentilium scripta, nusquam appareant, quæ talium rerum hoc pacto meminerint. Imo nec hoc dissimulandum, quod, si vel in revelationem ipsam incidat ratio nostra, non tamen quicquam salutariter inde haurire possit suis viribus ac sine interiori gratia cœlestis concursu. Audiamus Lutherum, tom. I. Altenb. ita differentem: Erstlich soltu wissen daß die Heil. Schrifft ein solch Buch ist/ daß aller anderer Bücher Weisheit zur Narrheit macht / weil keins von ewgen Leben lehret ohne dis allein. Darumb soltu an deinem Sinn und Verstand stracks verzagen / denn damit wirstu es nicht erlangen / sondern mit solcher Vermessenheit dich selbst und andere mit dir stürzen/ von Himmel/ wie Lucifer geschahe/in Abgrund der Höllen. Sondern knie nieder in deinen Kämmerlein und bitte mit rechter Demuth und Ernst zu GOTTE / daß Er dir durch seinen lieben Sohn wolle seinen Heil. Geist geben / der dich erleuchte / leiste und Verstand gebe; wie du siehest daß David in obgenannten Psalm immer betet: Lehre mich Herr/ unterweise mich/ zeige mir/ und der Wort vielmehr/ so er doch den Text Moses und andere mehr Bücher wohl kante/ auch täglich hörte und lasse/ noch will Er den rechten Meister der Schrifft selber darzu haben/ auf daß Er ja nicht

mit

(31)

mit der Vernunft drein falle und sein selbst Meister werde. Quibus verbis non solum afferit Megalander quod sine divino Numine, qua salutarem scripturæ S. cognitionem, nihil sit in homine, sed quod etiam quoad ea, quæ, circa hoc negotium, ex principiis depuratæ rationis alias promanare videntur, e. g. de vita æterna, tanquam fine Scripturæ & totius generis humani, homines sibi relicti cœcutiant. Interim hoc ipso Scriptura nostra, quod defectum rationis tam commode supplet & igniculos rectæ rationis delitescentes tam suaviter exuscitat, *geo-*  
*m̄stia*, suæ egregium signum prodit. Conf. part. 2 sect. 1. §. 20. sign. tert. Pergimus nunc ad rationem corruptam gentilium.

## SECTIO II.

### Sensatio[n]is corruptæ, maxime, gentilium, circa revelationem contexens.

#### §. I.

**V**Ideamus igitur quam turpiter se heic dederit humana ratio, quamque proterve Cacodæmon ipsi illuserit. Initio statim obstrepunt Oraculorum murmura. Videns credula gentilium plebs se sine revelatione divina non fore indemnum, primum quodque, divinationis nonnihil redolens, reverebatur ad instar Evangelii cœlitus denunciati. Hinc Diabolorum perstatuas, idola, antra & ipsos mystas ludificationes infinitæ. Hinc superstitionum, idolatriæ, mysteriorum, sacrificiorum genera sceleratissima. Hinc tot sapientiorum inter illos scommata, tot adversus isthæc indignationes.

Qui

Qui statuas audirent ac colerent statuis stupidiores statuerat Seneca. Scilicet ut haberent unde salutaria peterent, ex certis rebus, quas huic vel illi Dæmoni congruentes putarant, finxere statuas, quæ confessim per desideratum Dæmonem, materia tali, vim divinitatis habente, vel gaudentem vel cohibitum, animarentur. Imo ipsi spiritus, quibus attrahi retrahique vellent, edocuere. Porphyrius de Resp. & Orac. ait, Deos quibus rebus gauderent & quibus evocarentur, & quæ sibi offrenda essent, ipsos significasse: figuræ quoque ipsas simulacrorum, quales esse deberent, monstrasse, hæcque se de Proserpinæ oraculo percepisse. Dicit insuper de Hecate modum simulacula sibi constituendi præcipiente. Hujus Hecates Oraculum tale habetur:

*Quale mibi facias simulacrum, adverte, docebo:  
Sylvestri cape nata loco, atque absinthia circum  
Ponito, tum totum cœlato & pingito mures,  
Qui soleant habitare domos: pulcerrima sunt  
Hæc ornamenta atque animo gratissima nostro.*

Dein sanguinem murium, myrrham, storacem &c. offerre jubet, quo facto se per somnium comparere &c. Hæc sunt illa secreta mysteria gentilium Deorum, præter quæ adhuc varia alliciendi genera excogitarunt, inter quæ maxime celebrabant virtutes obtestationum & symbolicarum orationum, velut divinarum virtutum signaculum continentium, quibus Dæmones humano usui sese accommodent; cuiusmodi apud Apulejum legimus per *calestia, sidera per inferna numina, per naturalia elementa, per nocturna silentia, per adepta conceptitia, per incrementa Nilotica & arcana Memphytica & sifra Phariaca.* Porphyrius ita: *Tu qui elimo emersisti, qui sedes in loco,*  
qui

( 33 )

qui navigio naves, qui singulis horis formam commutat  
& in singulis Zodiaci signis commutaris &c.

§. 2. Oraculum Delphicum præ cæteris olim divinum maximeque fatidicum habuere : verum spectemus originem: Gregem, ait Diodorus, caprarum occasionem ei dedisse primum : demum collocata ibi puella, quæ responsa ederet, quæ per ipsa pudenda excepisse dicitur, & quia una cum puellæ pudicitia oraculi fama periclitaretur, de virgine minimum quinquagenaria admittenda ad illud officium cautum fuisse. Quales hinc revelationes expectandæ fuerint, æstimare cuivis in proclivi est; prout & æstimavit Oenomaus Philosophus Cynicus ; qui ab Appolline sæpius deceptus ejus mendacia collegit & adversus oracula librum scripsit , ex quo Eusebius imprimis multa in *prepar. Evang.* excerpit, licet in illo opere, quis iste liber, nusquam reperiamus, quod forte errore librariorum accidit, nam, quod obiter notarim , cum pluræ ex illo recitasset, πιαῦται, inquit, τῆς οἰνοπέδης παρόντοις, τὰ καὶ τῆς τῶν γοντῶν φορές, πιωτῆς σὸν ἀποθλαγμόν πικήσας. quæ Fr. Vigerus mendi securus, ita vertit: *hæc Oenomaus summa libertate adversus istum prestigiatorum affatum,* que sane aliquid Cynica dicacitatis habent ; ubi in vocabulo φορές non præter rem mendum aliquod hariolari licebit, idque suggerente Theodoreto, qui injecta, hac in causa, Oenomai mentione τὸ ξύλεγμα φορέν γοντῶν, i. e. scrutinium prestigiatorum, sive, ceu Hesychius φορέν esse notat, κλοπὴν, *fraudes prestigiatorum* appellat ; ut adeo non tam καὶ φορές quam φορές legendum videatur, & sensus hoc redeat: *Hæc, que sunt libertatis (dicendi) Oenomai, & ex scripto, quod καὶ τῆς γοντῶν φορές de prestigiatorum scrutinio, sive Oraculorum fal-*

sitate inscribitur, desumta, a Cynica dicacitate non sunt aliena. Sed ad lineam. Porphyrius quoque Oracula illa, quæ accurate collegerat, eo quod non prædicant per divinationem sed per conjecturas ex rebus naturalibus, subinde falsa deprehensa fuisse testatur, quin, ait, si quando Delphicus Apollo ex astris conjectare non posset, eos qui rogatum venerant, ne rogarent, rogabat, & mendacia, si urgeretur, responsorum minabatur; interdum etiam ea se hora nihil in stellis videre fatebatur. Conf. Morn. c. 23. ubi Platonicorum quoque & Peripateticorum oraculorum appareret judicium.

§. 3. Quanquam autem multiplices sortes exisse de triponde inveniantur, ita ut in politicis negotiis tum difficultissimum, quod summum regum ac rerump. consilium in an alteram partem non satis tuto decerneret, id sola hæc quasi machina extriceret; tum in levioribus ac interdum inanibus hominum oblectamentis: quo pacto dices si iam, Jovis & Latone filii? quid faciendum, Pythia, ut heros servus ne displiceat? de maris spatio, arenarum numero, Cræsique lebete (δυσυχετώτες μαγειῶν, ait Tyrillus) actum hoc loco fuerit: rationes tamen ac ritus sacrorum saepe postulata non est insciandum. Imo vero leguntur pessimi isti spiritus de vero Deo consulti subinde non de nihilo respondisse. Laetantiis de prædicto Apolline, Colophone respondentem, quoniam Delphis emigrarit, amicitate ductus Asia: querenti, iact, cuidam quis esset aut quid esset omnino Deus; respondit vi. ginti & uno versibus. Quorum hoc principium est:

ἀλέφωνς, αἴδοιντος, διηπτωρ, αἰσθέλιμος,  
ἔνομα μηδὲ λόγω χωρέαθρον, ἐν πνεύματοι  
τέτοιος, μικροὶ ἡ θεὸς μετεὶ ἀγέλαιημένος.

Per

*Per se genitus, non doctus, sine matre, inconcussus,  
Cujus nomen nullo sermone capi potest, in igne habitans,  
Hoc Deus, parvula autem Dei portio nos angelum  
sumus.*

Ita Suidas memorat, quod Thulis quidam, universæ Ægypti Rex, cum opibus viribusque insoleceret, Serapim primarium apud Ægyptios Dæmonem rogarit, quis ante eum regnasset, postea regnaturus esset, aut æqualis sibi aut superior? ad quod respondisse ait Serapim:

*Primus Deus, dein verbum & spiritus cum his:*

*Omnia vero cognata illa & in unum compacta:*

*Cujus potestas eterna: citis pedibus mortalia abi:*

*Vitam qui ignorantem transegit, te posterior est multo.*

Apollo autem de vera consultus religione dicitur de dīvino genitore unico itidem filio & spiritu respondisse. Vid. Plessaus l. c. c. 6. Verum & de his quicquid sit, certum est, quod nonnisi frendentes spiritus illi impuri & frementes testimonium perhibuerint veritati. Et licet interdum speciosis responsis in hominum animos fese insinuarint, captis tamen illis & dementatis, illico emicuere ungues virginum & puerorum sanguine humecti, ex quibus leonem istum cruentum ominari promptum fuit. Unde Porphyrius nefandissimos istos dæmones fuisse concludit; & furore, ait Quintilianus in Fan. Deos illos & rabie correptos esse, cum, adstipulante Seneca, cultum affectent, quo non Busyris, non Phalaris ullus delectetur; de quo supra.

§. 4. Inter alios oraculorum scriptores extat Antonius van Dale, cui præcipuae curæ fuit celebriorum oraculorum regiones, templorum sive natura sive arte, factorum modum, diversorum species responsorum, re-

rum istarum præfides, stratagemata sacerdotum, populi principum de oraculis sensa, ac tandem rationem tradere exitus. Ubi autem præceteris hoc habet peculiare, (quam ejus causam quoque anonymous quidam, auctor libelli illius, cuius inscriptio : *Histoire des Oracles* defendere satagit.) ut sacerdotum stratagematibus nimis um tribuat & ad operam ac præstigias Dæmonum hac in re, cui qualiscunque hominum solertia sufficere possit, nullatenus putet confugiendum ; verum contra testimonium historiæ sacræ æque ac profana ipsumque eventum quorundam, quæ, remedia ingravescentium temporum, viætmas humanas poscentia atque impetrantia, tempora secura sunt pacatiora. Hinc Plutarchus diserte censet χαλεπῶν καὶ δυσώπων (Dæmonum sc.) ὕεράς καὶ βαρυθύμιες, quo licuerat modo, amoliendas fuisse. &c.

§. 5. Complures igitur gentilium, illusiones istas ac mendaces revelationes, de quibus ante, Cacodæmonum pertæsi, sedulam navarunt operam, uti vel ipsi certis quibusdam adminiculis ad arcana divinæ, de rebus suis, voluntatis pertingerent revelationesque sibi conciliarent, verum nisu plane præpostero. Ubi sc. revelatione scrutanda erat propter peccatorum expiationem, sci-  
scitabantur expiations propter revelationem, cum ad infinitam illam Numinis sanctitatem nemini patere adiutum impuro ac flagitioso crederent. Hinc facta illa expurgationum genera de quibus §. 12. Sect. I. Ad præsentem autem scopum maxime valere putabant *munditium*, *abstinentiam* ac *pœnitentiam*.

§. 6. Quam *munditium* tum balneorum tum vestitus &c. constat cum primis Pythagoricos, Brachmannos, Gymnosopistas &c, heic admodum fuisse superstiosos. Ita

Virg.

Virg. penates attingere nefas putabat, antequam se flumine vivo abluerit. Conf. Hesiod. in Op. & Dier. libr. Nec absimile vero Pilatum, Christo præter jus & fas morti adjudicato, manus lavantem hunc respexisse ritum. Cæterum hinc inde scrutati sunt materias, munditiem expiatricem insita, quod credunt, vi promoventes. Sulphur proinde, videl. propter igneam portionem, herbam pentaphylon, ramos olivarum, (quibus tantum dicunt inesse puritatis, ut si oliva a meretrice plantetur vel sterilis perpetuo maneat vel plane exarescat) item ova lustralia commendant, unde Ovidius:

*Veniat que luslret anus lectumque locumque,  
Deferat & tremula sulphur & ova manu.*

Præter has & alias profanitatis intemperias, mira adhuc Josephus in Hist. Hieros. commemorat de expiationis arcano in radice Baaras, a loco, juxta Macheruntem Judeæ oppidum, sic nuncupata: hanc ait colore flammeo noctu splendorem emittere, captu tamen admodum difficilem, ut captantis manus fallat oculosque refugiat, neque prius consistat, quam menstruata mulieris lotio fuerit conspersa; nec tamen hoc modo dicit evelli sine periculo, quippe extrahentem præsentaneam mortem consequi, nisi ejusdem radicis amuleto fuerit communitus; quo carentes terram circum circa sacrificare, radicem laqueo vincitam cani alligare ac repente discedere: tandem nimio conatu secuturum canem radicem extrahere &, velut Domini persolventem vices, illico commori, nulloque postmodum periculo radicem illam a quovis tractari posse, cuius vim in expiationibus haberi ultra citroque præstantissimam, ut etiam eos, qui

Spiritibus vexentur immundis, protinus liberare, si superis placet, compertum sit.

§. 7. Qua abstinentiam constat de Bragmannis, quod nullos ad suum collegium admiserint, nisi abstinentes a vino, carnis & vitiis; dicentes neminem posse Deum intelligere, nisi qui eum divina conversatione æmularetur, id quod etiam Indos inferiores docuisse Phraotestatur Philostratus. Hierophantæ, sacerdotes Athenienses, ut est apud Hieron. sorbitione cicutæ, quo sacris suis promptiores vacarent, se ipsos castrarunt; & Orpheus docet Museum, in omnium Deorum hymno, quod castitas sempiternum & semper paratum efficiat Dei templum. Huc referebant abstinentiam a vita animali, a multitudine nempe sensuum, affectuum, imaginationum, opinionum & ejusmodi passionibus, quæ quippe lœdant animum ac judicium rationis pervertant; præsigniter autem huic abstinentiæ conducere volebant solitudinem. Hinc Zoroastres, qui primus, ut autor est Plinius, artes magicas in Perside invenit, omnium rerum naturalium divinarumque scientiam viginti annorum solitudine dicitur affecutus, Similia de Orpheo in Thraciæ desertis degente memorant. Sic legitur Epimenides Cretensis longissimo quodam somno fuisse eruditus, nam annis 50. dormivisse i. e. latuisse, ut explicant. De Pythagoræ, Heracliti & Democriti solitudine ac abstinentia hinc inde commonefaciunt. Proclus in commentario super Alcib. ostensurus quomodo ascendat animus ad ipsum unum, bonum, verum, per singulos tam cognoscibilium quam cognitionum gradus docet quomodo imprimis fugienda sensibilia, ut ad essentiam incorpoream nos transferamus.

§. 8.

§. 8. Pœnitentiam tandem maximam purgationis partem censem. Seneca in Hippolyto ait: *Quem pœnitet peccasse, pene est innocens.* Et Alexander criminis diluens, quæ ipsi propter cædes amicorum intendebantur, in hos, inquietabat, commissa, qui non habita temporis ratione deliquerant, secuta est pœnitentia, prudens valde & eorum qui erraverunt & lapsi sunt servatrix Dea. *η μεταρίεισ αὐθέων πάντις έπειτα τούτων εξημαστικότερον σώτεις δαιμών* apud Julian. in Cæsarib. Sic Ovidius in Ponto.

*Sæpe levant pœnas ereptaque lumina reddunt,*

*Quam bene peccati pœnituisse vident.*

§. 9. Verum ne multa dicere pauca probare videantur, uti de Mose conquestus dicitur Plato, genuinum medii cuiusvis nexum effectusque rationem ostendere student. Quia munditiem conccludunt, dum homo in omnibus munditiem amplectatur, in visceribus, in cute, in vestibus, in habitaculis, in muneribus, oblationibus, hostiis, sacrificiis &c. horum omnium munditie aerem purificari, influxum mundissimum cœlestium & divinorum velut ad similia, queis gaudeant, attrahi & mundos Dei ministros dæmonesque bonos allici. Speciatim autem de materiis illis sulphureis dicunt, nihil obstare quod minus in substantias spirituales agant, fugando vel incitando, non fecus atque ignis in Sicilia agat in animas, qui, teste Guilielmo Parisensi, (resti autem experientiae forte plus fidei habendum) corpora non laedat, animas vero intolerabiliter cruciet appropinquantium. Quia abstinentiam asserunt, hac ipsa hominem ab externis ac impuris coerceri, a multiformitate ac contrarietate rerum astralium, ascendere ad scientias in quibus sit varia multitudo, nulla tamen contrarietas, omnes enim

enim sibi invicem connexas & subalternatim alteram inservire alteri, ad unam usque omnibus reliquis præpositam, quæ equidem nullam supponat aliam, interim supra se habeat intellectū purum, ubi summus cognitionū apex: ad hanc vitam intellectualē & simplicem intuitum si perventum sit, deposita omni compositione, divisione, multiformique discursu, hominem intelligibilem essentiam perceptionibus individuis & simplicibus speculari, ac ipsam summam animæ existentiam, per quam unam simus & sub qua uniatur multitudo nostra, consequi, ac sic primum unum, a quo omnibus inest unio, Deum puta, per ipsum unum, tanquam essentiæ nostræ florem, attingere; quod nemo assequatur, ni omnem multitudinem fugiens in ipsam unitatem suam consurgat, unusque efficiatur & uniformiter agat. Conf. Plat. in Parm. *Pœnitentiam* tandem affirmant, velut molestiam delestantis opponentem, stupidam ex anima lætitiam executere vimque peculiarem ad supera reducentem tribuere &c. Conf. Nettefzheym l. c.

§. 10. Sæpe citatus hic Autor, ut vel non adverens ostendat quam concinne religio sua cum illa Paganorum conspiret, mutuo petit ex illa quartum expiacionis sacramentum, nempe *Eleemosynam*, quam tribus illis superioribus mediis, ceu apprime necessariam, sub jungit, vehementer miratus, quod apud Philosophos parum aut nihil de hujus virtute legerit. Putat tamen Homerum non nihil meminisse, dum introducit juvenem ad Antinoen procum in hæc verba erumpentem: *Antinoe non quidem putre cecidiſisti miserum mendicum, perdet te si usquam Deus supracœlestis est, nam & dii alienis hospis.*

*hospitibus assimilati, in universum exentes, civitates e-  
vertunt, bominum injurias & nefas aspergentes.*

§. ii. Hoc ita remedio exposito, pietatis suæ dog-  
mata fœcundiora sentiens Agrippa, quam ut unum sal-  
tim suffragii, circa hoc momentum, misellis gentilibus  
commodare queant documentum, miram adhuc sacra-  
mentorum, in præsentem usum, vim exponit. Hic vi-  
deas adorationes & vota, sacrificia, baptismata, exorcisi-  
smata, benedictiones, consecrationes, aquæ purificatæ  
vel benedictæ aspersiones, quasdam etiam inunctiones  
& suffumigationes, non tam ad hoc sacratas, quam na-  
turalem hanc vim possidentes, quæ non solum ex scri-  
ptoribus gentilibus deducit, exemplis ac experimentis  
illustrat, sed etiam consensu Scripturæ exemplisque sacris  
roborare conatur. Exempli loco assumemus fumigia,  
in quibus haut vulgarem vim collocat, quorumque va-  
ria Dæmonas tum bonos tum malos tum citantium tum  
arcentium genera tradit: heic ait librum Naturæ &  
Scripturæ suavissime concinere. Si namque canat Por-  
phyrius, infensissimus ille Christianæ religionis hostis:  
*Qui mortuum tetigerit, ei oracula accedere non licet* (ut  
nervus ratiocinii pateat, en notulam: forte quia qua-  
dam funebris nidoris affinitate corruptus animus concipi-  
endis divinis instaxibus redditus ineptus) *lavabis te & in-*  
*unges & fumigabis & offeras sacrificia;* illoco audit suc-  
cinentem Psalmistam. *Dirigatur Domine ad Te oratio*  
*mea, sicut incensum in conspectu Tuo.* Egregiam scilicet  
Christi & Belialis symphoniam! Sed audi vires, quas  
suo, quem vendit, fumo asserit: Fumigia, sacrificium  
& uncio penetrant omnia & aperiunt portas elemento-  
rum atque cœlorum, ut per illas homo cognoscere pos-  
sit

sit SECRETa CREATORIS res cœlestes & quæ supra cœlum  
funt, &c. Vid. l. 3. c. 64.

§. 12. Verum ne ab his quoque ratio aliena vi-  
deatur, supponit, quæ in libris prioribus tradita atque  
ex Philosophis asserta putat, præcipue quantum ad sym-  
pathiam, seu rerum superiorum cum inferioribus mutua-  
m convenientiam, ubi omnia, sublunaria, generatio-  
ni & corruptioni obnoxia, dicit inveniri quoque in mun-  
do cœlesti, sed modo quodam convenienti: porro in  
mundo intellectuali, sed multo perfectioni & meliori  
modo: perfectissimo tandem in Archetypo seu Deo, at-  
que in his gaudet se habere consentientes Academicos  
cum Trismegisto & Jarcham Brachmannum atque Ebrae-  
orum Mecubales; imo ad naturæ regna, mineralium,  
animalium, coelorum, intelligentiarum, usque ad Deum  
inter se connectentis testimonium provocat. Jam, per-  
git, sicut inferiora ad superiora connexa sint, ut influ-  
xus ab eorum capite, prima causa, tanquam chorda qua-  
dam tensa usque ad infima procedat, cūjus si unum ex-  
tremum tangatur tota subito trebat; ita vult, si ejus-  
modi commotio sit instituenda, opus esse certis quibus-  
dam materiis naturalem vim divinitatis habentibus (hoc  
est quæ naturaliter superis consentaneæ sint, de quo a-  
lias) rite collectis & partim physice partim astronomice  
undiue opportune conflatis, per hanc jam commixti-  
onem varietate, illinc quidem celestium actionum, hinc  
vero potentiarum naturalium congregata, fieri illa mi-  
rabilia, ubi opportunis cœli influxibus celestia dona tra-  
hantur, &c. qualia legantur in libris Chiramidis, Archi-  
ta, Democriti, & Hermetis qui Alchorat inscribitur. Rem  
quoque ut experimento agat, sistit l. c. lapidem in papil-  
la.

la hyæna enatum, it. lapidem lunarem aliaque quibus  
divinatio concilietur. Vid. l. c. c. 38. Verum ut pateat  
quomodo rerum corporearum virtutes atque hinc con-  
formitas cum cœlestibus investigari possit, præscribit cer-  
tas vias huc deducentes, viam e. c. similitudinis, litis, a-  
micitiae &c. Conf. l. c. Tandem in peculiari sibi pla-  
cet cognitione virtutum verborum, nominum proprio-  
rum, carminum, scriptionum, characterum, imaginum,  
figurarum geometricarum, numerorum vocis ac con-  
centus musici, temporum itid. ac locorum &c. de qui-  
bus hinc inde differit & eorum huc facientium virtutem  
demonstrare satagit.

§. 13. Sunt adhuc, notante Mornæo ex Rogero  
Bac. in lib. de sex scientiis experim. in Compend. Theologi-  
co, qui prophetiam e stellis deductur singularem quoque  
præparandi modum tradunt. Accuratam nempe diatam  
principiant ut corpus per Alchymiam æquale, æquilibre &  
temperatum reddatur, hinc cœlestes radii in speculo juxta  
Catoptrices præcepta fabricato, quod Alchemisti vocant  
congregentur, indeque tum homo ipse, tum cibi omnes,  
quibus uti debeat, per Astrologiam stellificentur. Hoc arti-  
ficio Apollinem Thianeum vaticinatum tradunt.

§. 14. Has Chimeras risu quam responione digniores  
judicat Mornæus, quod & ipsum parili jure de reli-  
quis haec tenus recensitis dici posse arbitror. Certe  
si cui allubescat exempla ~~metædœwv~~, superstitionum  
que petitionum principii &c. colligere, ei haec tenus me-  
morata ratiocinia copiosam suppellectilem suppedita-  
bunt. Ex Sect. I. §. 3. seqq. constat quid de illis mediis  
expiationum ac revelationum sit judicandum ; hic sal-  
tem subjecimus : Si vel maxime de Dæmonum corpo-

ribus astralibus; eorumque attractu atque aliæ quædam  
huc attinentes hypotheses concedantur, quomodo quo se  
ad secreta creatoris, de quibus §. II. pervenerit Agrippa?  
Sic in Deum alligabit illi catenæ aut chordæ, de qua  
in §. 12. ut liberrimæ sua voluntatis propalare cogatur  
decreta ac secreta, qualia in §. 16. memorata vides. Quei  
sui immemor l. 3. c. 38. ad solum ait, unum Deum, sum-  
mum patrem, orationes ac vota pura piaque mente prin-  
cipaliter facienda esse, exclusis sc̄ materialibus? Ethni-  
cos igitur, Zoroastren & Orpheo se sapientiores l. c. vi-  
dit, qui suffumigationes & alia ejusmodi ad inferiora  
Numina dirigenda volunt, si vero ad supremi Jovis ma-  
jestatem erigamus, fieri illa minime debere, quod etiam  
Hermetem fatetur & Platonem fieri noluisse.

§. 15. Cæterum cum divinationum aut illapsionum  
divinarum naturam ex indole gentilium intimius rimat-  
tus videri velit, tres facit earum species, furorem sc̄, Ec-  
stasis sc̄ raptum & somnum propheticum: Quo addita-  
menti loco refert sortes, & notarium auguria; que o-  
mnia, quomodo a se invicem differant, quei subdivi-  
dantur, quibus easuis ac mediis concilientur &c. fuisse  
explicat circa finem l. 3.

§. 16. Præter hactenus e libro 3. allata, tempera-  
mento insuper haut parum tribuendum statuit. Hinc li-  
bro 1. extollit admodum melancholici humoris ac candi-  
dæ bilis potentiam, hanc ait, si accendatur & cœlesti in-  
fluxu, mx. Saturni (frigidæ illius & siccæ & ob altitudinem  
animam ad intima revocantis) juvetur, furorem conci-  
tare maxime divinum. Hinc adductis testimoniosis Ari-  
stot. Democr. & Plat. profert exempla Hesiodi, Home-  
ri, Lucretii &c. qui Melancholici ac primum inepti insa-  
nique

nique fuisse perhibeantur. Verum ut rem distinctius doceat, triplicem facit animæ apprehensionem: imaginativam, rationalem & mentalem ; tres etiam constituit dæmonum classes: inferiorum, mediorum & sublimium. Jam ait si anima impulsu Melancholia corporis vinculis egressa tota in *imaginationem* transferatur, fieri inferorum ; si in *rationem*, fieri mediorum ; si in *mentem*, evadere sublimium dæmonum habitaculum. In prima classe subitaneos oriri Mechanicos ; in secunda, tales Oratores ac Philosophos ; in tertia Theologos, hic *arcana disci divinorum*, puta Dei legem, ordines angelorum & quæ ad aeternarum rerum cognitionem & animarum salutem pertineant. De futuris cognoscere quæ divina providentia adjaceant, futura miracula, futurum prophetam vel legislatorem. Hoc humore impulsas, ait, Sybillas de Christo ante ejus adventum longo tempore vaticinatas, Sic Virgilium de instantे Christi nativitate, de abolenda peccatorum vi edoctum, Cum anæque Sybillæ recordatum hinc inde divina cecinisse.

S. 17. Verum & hic, ut de trinæ illius dæmonum animaque facultatum classis, deque influxus Saturnini incertis ac lubricis fundamentis (quæ, sicut & reliquas Philosophiæ suæ hypotheses, nonnisi credulis exposita, vult animis, incredulos vero ad secretorum istorum *arcana* non admittit sed in stuporem adductos, sub ignorantia ac desperationis umbraculo desirutus relinquit) non moneam ; quantum ad experientiam, quo minus & Caco-dæmon bile quacunque sive candicante sive nigricante abuti, ex Scriptura quoque plagiū admittere suisque mancipiis impetriri possit, quid obstet, non appareat. De Sybillis & citatis Maronianis notæ sunt eruditorum con-

controvergia. Qui autem ex principio reminiscentiae Platonicae evincere conantur, quo pacto per agitationes melancholicas, humores illi crassiores, qui species in anima jam ante existentes & in corpus hoc vel illud a sportatas obliterarint, excutiantur, illæ ex adverso artium doctrinarum ac sapientiae ideaæ uno impetu erumpant, qualia videre est apud Leyinum Lemnium, in *occultis naturæ miraculis*, eis sanioris sensus Peripateticorum animam non tam tabulae râsæ quam nudæ comparantes opponimus.

S. 18. Prodigiosam adhuc sententiam de subitanea illa hominum illuminatione tradit Agrippa, dum aeri rerum ac sermonum species, velut speculo deifico, tenenti & per poros tum somniantium tum vigilantium insinuanti affectus istos vindicat. *Ipsæ, inquit, namque rerum species, licet ex propria natura deferantur ad sensus hominum & animalium, possunt tamen, a cœlo dum sunt, in aere acquirere aliquam impressionem (sed veram ac genuinam cœlestis illius impressionis rationem & an forte quomodo illæ species a fontibus suis, tum rebus tum sermonibus, postquam in aere, ut air, multiplicatae sunt, decidi, convalescere atque sic sese sensui insinuare suopte motu queant, ostendendum; qualisque in dispositione sensus recipientis hujus præ alio proportio, specierum illarum invitatrix, demonstrandum erat) ex qua, una cum aptitudine a dispositione recipientis, magis feruntur ad sensum unius quam alterius.* Hinc naturaliter etiam possibile judicat hominem homini ad quamcumque longissimam etiam vel incognitam, distantiam & mansionem brevissimo tempore posse numerare mentis suæ conceptum: et si tempus in quo istud sit, non possit præcisè mensurari, tamen intra 24. horas

id

id fieri omnino necesse esse ; & ipsum se nosse istud  
artificium & saepe exercuisse, nosse id idem fecisseque  
quondam abbatem Tritemium , cuius stasit illam suam  
Philosophiam in Ep. quad. ad eundem edidisse testatur.  
Quid obest quin huc conduxisse putemus præstigium i-  
stud, quo pictas certa arte imagines literasve plenilunio-  
ne ajunt serena nocte objicere, ubi alius quidam longe  
licet dissipatus, præstigii vero conscius, in orbe lunæ rem  
exhibitam cognoscere ac legere possit. Rationem addunt:  
simulacula scilicet idoli oppositi in aere multiplicata sursum-  
que rapta una cum lunæ radiis reflecti, sicutque rei con-  
scio patefcere: quod ipsum nunciandorum secretorum  
obsessis villis & civitatibus utilissimum artificium olim  
a Pythagora factitatum, suo ævo aliquibus adhuc sibi-  
que non incognitum alicubi asserit Cornelius Agrippa.

S. 19. De locis adhuc monendum, quod & horum  
certa quædam consecranda putarint, ubi θεοφανείας οὐδη-  
Φανείας suas expectarint: quales πεντεκαιδέκα vetustissimi re-  
ges Ægypti esse voluisse traduntur, ac Manetho id jam  
de eo rege, sub quo emigrarunt Israelitæ, commemo-  
rat, quamvis Josephus diversa sentiat. Apud Arnobium  
quidam Ethnicus templorum origines hinc deducit: *Non  
idecirco, inquit, attribuimus diis templa, tanquam humidos  
ab his imbres, ventos, pluvias arceamus aut soles: sed ut  
eos possimus continuus intueri, affari &c.*

S. 20. En foetus naturæ corruptæ abortivos! Usque  
adeo ἐμπατεῖσθαι τὸν πλειονάρχην! tam longe  
exorbitare tantum sibi sumenti rationi contigit! Miseros  
certe homunciones, quos impurissimorum spirituum lu-  
dificationi permisit divina justitia! Verum miserrimos  
intra sacratissimum verbi divini jubar profanam afe-  
ctan-

stantes caliginem ! Tibi vero, o lumen Pater, Opt.  
 Max. Tibi quantas maximas possumus agimus grates, per  
 filium Tuum JESUM CHRISTUM, quod nobis hæredi-  
 tam sanctorum in luce, præ majoribus nostris, imper-  
 tire clementissime decreveris Serva nobis, Bone Jesu,  
 Tuum quod accepimus verbum, hoc, hoc esto ani-  
 mæ nostræ dulce decus, suave delicium, alnum præsi-  
 dium !

§. 21. Atque sic iis, quæ prioris partis esse vi-  
 debantur, B, C, D. dispectis pergimus ad

## NATVRÆ JVDICIVM DE PROPRIETATIBVS, SIGNIS ET TRACTATIONE SCRIPTVRÆ ΘΕΟΝΕΤΣΤΟ.

PROOE-



## PROOEMIUM.

**D**E causis & definitione Scripturæ divenitus ad beatitudinem hominum concessæ ex judicio rationis dispeximus in dissertatione cui titulus:  
JUDICIUM NATURÆ DE NATURA  
SCRIPTURÆ: Jam quæ super hoc negotio restare videtur doctrina in præsentia, bono cum Deo, ex lumine naturæ itidem perlustranda venit. Vider-  
dum igitur:

1. de SCRIPTURÆ HUJUSMODI AFFECTIONIBUS  
seu PROPRIETATIBUS; ubi simul de ejus Criteriis  
agetur & quæstio illustris de PROBABILI partim,  
partim CERTISSIMA, CIRCA ~~conclusi~~ <sup>scriptu</sup> RÆ, PERSUASIONE excutietur;
2. de SCRIPTURÆ HUJUS TRACTATIONE;  
*explicatione scil. probatione & applicatione.*  
Quæ doctrina, si unquam, hac certè mundi sene-  
scientis ætate, sedulò expendenda est contra Scho-

A

lasti-

¶

laisticos non modo & modernos Pontificios,  
Scripturæ cognitionem in motiva cre-  
dibilitatis, præcipue testimonium Ecclesiæ, ultimò  
resolventes & hac ratione illustribus ac nobilibus  
utriusque sexus hominibus, permisso Dei, impo-  
nentes; sed præcipue quoque contra Fanaticos,  
intra Ecclesiæ pomœria natos, & Cartesiana Phi-  
lophandi methodo præpostorè ad Theologicum  
forum translata deceptos. Dum enim monstrou-  
sum hoc genus hominum de omnibus dubitan-  
dum putat, eo audaciæ prolabitur, ut Scripturæ  
S. quoque ~~Scripturæ~~, imò ipsius Dei existentiam  
frivolis ratiunculis labefactare sustineat: unde alii  
Satanæ instinctu cum religione ipsum Deum abji-  
ciunt, quorum stultitiam alias confutavimus: a-  
lli à religione Christiana deficientes magnam ali-  
quam, omnibus communem, & paucas de Dei  
cultu nobiscum natas notiones complectentem re-  
ligionem fibi fingunt. Quibus generis humani  
fœtidissimis ulceribus vix alia medela supereft,  
quam si rationis sanæ, quam non planè abjecisse  
videri volunt, ex natura rei petitis principiis illos  
præparare conemur, ut, si doctrinam hanc dedu-  
ctam ex natura Scripturæ alicuius, quam divinitus  
ad hominum salutem traditam supponimus, si, in-  
quam, eam doctrinam ad nostram Christianorum  
Scri-

¶ ( 3. ) ¶  
Scripturam commode applicari posse videant, ut rei  
probabilitate haut vulgari permoti ad hanc Scri-  
pturam cum studio discendi legendam & meditan-  
dam postliminio reducantur, sicque efficacia Dei  
Scripturæ intrinseca perculsi ad meliorem frugem  
sele recipiant.

## SECTIO I.

*De*

### Scripturæ S. Affectionibus.

§. I.

AFFECTIONES Scripturæ S. hoc loco notant con-  
ceptus, qui Scripturæ ita competunt, ut ex  
essentia & definitione ejus promanent. Ha-  
rum affectionum sicut magna copia se offert,  
ita pro ratione instituti portissimas saltem eligemus. Ex  
natura igitur Scripturæ fluit, dictante ratione, immedia-  
tè velut

#### PRIMA AFFECTIO, INFALLIBILIS VERITAS.

Hanc ut intelligamus, sciendum quod veritas divi-  
datur in scholis in

1. METAPHYSICAM, quæ dicitur veritas in *essendo*, quan-  
do aliiquid habet essentiam inesse debitam. Hanc  
veritatem Scripturæ nostræ inesse credit, qui videt  
nos supponere non fictitiam aliquam, sed vere  
*Θεοπνευστην* Scripturam, quæ essentiam *Θεοπνευστην* Scri-  
pturæ inesse debitam habere ex terminis cognosci-  
tur.

2. PHYSICAM, quæ dicitur alias veritas in *cognoscendo*, quando quis rem cognoscit, uti est ; quæ Scripturæ nostræ, potentia cognoscitiva destitutæ, subjectivè non competit, benè tamen objectivè, fit enim objectum, legentis vel audientis intellectum per species intelligibiles, rem uti est exhibentes, determinans.
3. ETHICAM, quæ dicitur veritas in *dicendo*, cum quis loquitur, uti sentit ; quæ veritas non quidem Scripturæ, ut sensus experti, auctori tamen ejus competit, ut mox patebit.
4. LOGICAM, quæ dicitur veritas in *significando*, quando oratio rem repræsentat, uti est. Atque hæc veritas potissimum hic spectatur, quam Scripturæ ΘΕΟΠΝΕΥΣΩ inesse patet rationi :

a. ex causa ejus efficiente, Deo nimirum, quem falsa dicere aut mentiri, sicut revelatio *Hebr.* VI. 18. dicit ἀδύτατον, sic philosophia dixerit contradictorium. Deus enim vi vōcis notat eum, qui infinitas possidet perfectiones, & hinc quoque scientiam & bonitatem infinitam, unde vi scientiæ non potest falli, vi bonitatis non potest fallere, E. nec falsa dicere aut mentiri.

b. ex causa finali, quæ est deductio peccatoris ad conciliandum Deum, ejusque hinc consequendam beatitudinem ; quod si igitur falsa, aut vera falso admixta contineret Scriptura Θεόπνευστος, non certe ad Deum perduceret, sed ab eo abduceret potius ; nam omne falso, sicut recedit à vero, ita à Deo, qui est ipsa veritas :

Jam

Jam absurdum est Scripturam aliquam, tanquam medium, ad finem aliquem esse propositam à Deo, nec tamen aptam ad finem istum comparandum.

Hæc itaque LOGICA VERITAS ut firmo noscatur consistere talo, sequentes observemus oportet assertiones :

**ASSERT. I.** *Scriptura non contradicat rationi.* Rectam intelligo rationem i. e. serenum naturæ lumen, cui quod repugnat, ipsi Deo, hujus luminis auctori & per consequens veritati, repugnat. Deus certè, si aliud lumine naturæ & aliud lumine Scripturæ revelaret, sibi ipsi contradiceret, id quod absurdum. Observandum interim, quod dogmata occurrere queant, quæ, licet lumini naturæ non repugnant, istud tamen transgrediantur: quod si sit i. e. si verbis perspicuis Scripturæ aliquod mysterium asseveretur, reverenter id erit suscipiendum & cavendum rationi, ne suorum principiorum ductum secuta, per μὲν βασιν εἰς ἀλλού γένεται ad res divinas transferat quæ vel non, vel in sphæra naturali tantum, universaliter vera sunt. Breviter: Cavendum, ne quicquam contradictionis admittatur, nisi omnia contradictionis requisita evidentissimè appareant, quo facto ad impropiam significationem configiendum: secus enim contradictoria apparenter *alia* obvenient, quæ si, requisitis non observatis, pro verè talibus habere & hinc θεωρευσίαν Scripturæ suspectam putare velis, te ipsum præclaro salutis medio præter rem privabis: hinc

**ASSERT. II.** *Scriptura non contradicat sibi ipsi.* Unde licet apparenter contradictoria sese offerre legenti possint, ea tamen curatius pensitata apparebunt de-

stituta esse aliquo vel pluribus contradictionis requisi-  
tis. Ut enim contradictione plena sit, requiritur:

*a.* Ut non sit nominis, sed rei ejusdem probè cogni-  
tæ, aut si sit nominis, non sit synonymi, sed ejus-  
dem nominis.

*b.* Ut sit secundum idem eandemque partem,

*c.* ad idem eodemque respectu,

*d.* eodem tempore & simul.

Paucis : ut omni prorsus modo idem de eodem  
affirmari & negari clarissimè pateat. Hujusmodi  
verò in Scriptura divinitus tradita, salva Dei vera-  
citate, nunquam comparebit.

ASSERT. III. *Prophetiae, si que ad sint, sicut de futuris et  
iam contingentibus quædam adesse possunt, eventui  
exactè respondeant.* Deus enim per scientiam visio-  
nis tam clare & distinctè omnia, quæcunque sunt  
in quolibet tempore, secundum suam existentiam  
videt, quam clare & distinctè cognoscuntur ea, quæ  
tanquam præsentia coram videntur, & sic potest verè  
nosse & dicere futura, sive sint necessariæ sive contin-  
gentis existentiæ ; Porrò, quia Deus vi veracitatis  
non potest aliter loqui aliter sentire & sic vult verita-  
tem sectari in prædicendis futuris, illicò consequitur  
Prophetias à Deo factas non posse non cum eventu ad  
amissim conspirare,

### §. 3.

SECUNDA AFFECTIO est plena & integra SANCTITAS,  
Potest verò Scriptura Θεοπνευστος SANCTA dici :

*1.* ratione Autoris, Dei nimirum.

*2.* ratione objecti, rerum divinarum nimirum.

*3.* ratione finis, æternæ beatitudinis nimirum,

4. ratione normæ, legis videlicet æternæ, ad quam ea, quæ Scriptura tradit, exactè quadrant. Atque hæc ultima sanctitas potissimum hic spectatur, & speciatim in hoc consistit, ut, quæ de cultu ad reconciliandum Deum aeternamque beatitudinem consequendam traduntur, legi Dei æternæ conformia sint omnia, nec quicquam turpe aut ab honestate remotum contineatur. Cujus rei necessitas patet partim ex causa efficiente; Deus enim, qui totus sanctus, contra se & legem suam aeternam nihil præcipere, nihil prohibere potest: partim ex causa finali; traditur enim ad abolendam Dei offensam, turpitudinem scilicet à nobis designatam; jam vero turpitudine turpitudo non tollitur, sed ingravescit.

## S. 4.

Prout autem Iex aeterna immutabilis, ad quam omnia, per se honesta & turpia, sunt exigenda, duobus capitibus absolvitur, quorum uno officia erga Deum, altero officia erga homines, proximum scilicet & nosmet ipsos, exponuntur; ita ad sanctitatem Scripturæ cognoscendam requiritur, ut nihil in ea ostendi possit, quod alterutrius capituli officiis sit difforme.

## S. 5.

TERTIA AFFECTIO EST SUFFICIENTIA; per quam intelligimus complexum omnium, quæ creditu factaque ad salutem necessaria, nobis vero ignota, Deus iudicat: Hæc si non sufficienter traderet Scriptura, nec finem, quem tamen intendisse per eam Deus supponitur, obtineret; id quod sapientia Dei repugnat. Ut igitur hæc affectio dignoscatur, videndum cum primis inter alia certum medium revelatum sit, cuius benefici

cio peccata expiari adeoque homo peccator à creatore conciliato æternam salutem indipisci possit,

## §. 6.

Observandum hic quod Naturalistæ ac Fanatici pœnitentiam i. e. contritionem, & fidem in Deum i. e. fiduciam in Dei bonitate, sine satisfactione hominis peccata remittente, ad conciliationem Dei offensi sufficere putantes corruptæ rationi suæ admodum indulgeant. Pœnitentia sane non sufficit, quia nihil ad abolitionem peccati confert, nisi ut ratihabitio peccati retractetur; satisfactionem verò, quæ de lege communi ad abolen-dam offensam requiritur, nullam exhibet. Quod autem fidem in Deum attinet, nescit sana ratio, an Deus homini contrito sine satisfactione peccata propter iustitiam condonare possit, aut, si possit, an vellit: nam quod bonitas Dei heic videtur promittere, id iustitia eius illico detrectat. Quare si uspiam, hic certè revelationem aliquam commodet Scriptura Θεο-

¶vōs. §. 7.  
QVARTA AFFECTIO est PERSPICUITAS,qua Scriptura nostra ea, quæ creditu factuque necessaria sunt, verbis ac phrasibus claris & usu receptis proponit, ut quilibet linguae gnarus sensum necessarium consequi valeat. Cuius rei necessitas probatur itidem ex causa efficiente & finali. Finis enim (salus sc. æterna) à multis ægrè obtineretur, si obscuritate, maximè circa necessaria, laboraret Scriptura. Dein si Deus (causa nim. efficiens) quoad necessaria à perspicuitate deficeret, id fieret, vel quia non posset perspicue loqui, quod est contra omniscientiam, vel quia non vellat, quod est contra bonitatem, quam finem

(9)

finem prædictum hominibus per Scripturam conferre  
voluisse supponimus. Quod si igitur Deus potest & vult  
perspicuè loqui, non dubitandum quin actu loquatur.

§. 8.

QVINTA AFFECTIO EST POTESTAS ; vi cuius Scri-  
ptura voluntatem legentis ad obsequium præceptis suis  
commodandum movere & obligare potest. Hæc pote-  
stas est eadem cum potestate Auctoris absoluta & supre-  
ma, quam habet creationis jure, quod sicut in omnes crea-  
turas, ita in eas, quæ intellectu & voluntate pollent,  
possidet dominium, ut istarum intellectui voluntatem  
suam revelare, istarum quoque voluntatem ad obsequi-  
um exactissimum obligare queat, idque sub intermina-  
tione poenarum temporalium & aternarum,

§. 9.

Ex prima & quinta affectione resultat SEXTA, eaque  
admodum momentosa, atque hinc curatius pensiculan-  
da, quæ uno nomine audit AUCTORITAS.

§. 10.

AUCTORITATIS vocabulum est commune ad unum,  
quod uni primariò, alteri v. secundariò competit. Id quod  
vario modo evenit :

I. Auctoritas spectatur vel *in se*, quatenus est dignitas  
fidei & obsequii aut alias venerationis ; vel *quoad nos*,  
quatenus est dignitas fidei & obsequii aut alias  
venerationis nobis nota : priori modo dicitur se-  
condariò & cum addito nempe autoritas *in se* ; po-  
steriori autem modo dicitur absolutè & primariò ; non  
enim ex usu loquendi habere auctoritatem absolutè  
dicitur, cujus dignitas fidei & obsequii ita non est co-  
gnita, ut animos aliorum ad fidem & obsequium al-  
liciat. Vtraque auctoritas *quoad rem* coincidit, nisi  
quod

quod posterior relationem ad nostram cognitionem simul sortiatur : utraque etiam auctoritas adesse debet Scripturæ Θεοπνευστω : illa propter veritatem & potestatem, quam habet: hæc propter salutem nobis conferendam quam intendit. Dico vero

a. Autoritatem esse dignitatem ; ubi per dignitatem intelligimus rationem seu relationem perfectionis, in persona aut re, ad bonum spectatum quatenus personæ aut rei convenit : quæ convenientia est vel sine debito; sic dignus dicitur beneficio, cui tamen beneficium non debetur, secus dicendum es- set non tam beneficium quam meritum , aut aliud debiti genus : vel cum debito, uti di- gnus honore dicitur, cui debetur honos. Quod si nunc Scripturæ tribuimus auctoritativam dignitatem, intelligimus relationem perfectionis (veritatis & potestatis) Scripturæ ad bonum (fidem & obsequium) quatenus illi convenit ex debito.

b. Auctoritatem esse dignitatem fidei & obsequii. Vbi dignitas fidei potest dici auctoritas dicti, orta ex ve- ritate: dignitas obsequii potest dici auctoritas man- dati, orta ex potestate Quando jam Scripturæ tribuimus dignitatem fidei & obsequii, intelligi- mus auctoritatē tum dicti tum mandati eamque sum- mam, ex suminis videlicet Scripturæ perfectionibus, veritate & potestate, resultantem.

II. Auctoritas spectatur quatenus competit Deo vel ho- mini : Deo competit primariò & omnimodè homini secundariò & limitatè. Scripturæ Θεοπνευστω tribuen- da est certo modo auctoritas competens Deo, quate- nus nempe à Dei protestate & veritate pendet.

III. Auctoritas spectatur, quatenus competit personæ vel rei v. g. dicto & mandato. Hic pro diversitate per-

personæ & rei modo autoritas rei pendet à persona,  
modò autoritas personæ pendet à re. Potest verò  
rei contradistingvi persona Divina vel humana.

a. primò HUMANÆ PERSONÆ REI CONTRADISTINCTÆ AUCTORITATEM spectabimus , dein ad DIVINÆ PERSONÆ rei contradistinctæ AUCTORITATEM declarandam accingemur vid . inf. §. II. Si igitur persona est homo ; Auctoritas dicti , quoad nos spectata , interdum dependet ab homine auctore ( si nimirum dicti veritas sit minus nota , quam dicentis veracitas ) interdum verò auctoritas hominis quoad nos à veritate dicti pendet , ( si nimirum dignus habetur fide , quia sœpius verè dixit ) ita ut veritas priorum dictorum cognita fundamentum sit auctoritatis hominis quoad nos , vi cuius movemur ad fidem posterioribus dictis ipsius vel sine cognita eorum veritate præstandam : dictum enim manifestat perfectionem hominis ac dignitatem hic spectatam , sicut sermonem animi indicem esse & scriptum scriptori auctoritatem conciliare constat . Dixi , quod auctoritas dicti quoad nos interdum dependeat ab homine auctore , nam auctoritas dicti in se considerata seu dignitas ejus , qua meretur fidem , dependet ultimò non tam ab auctore quam veritate ; nam dictum in se est fide dignum ultimò ob conformitatem cum re , hæc autem conformitas , utut efficienter ab auctore , fundamentaliter tamen à natura rei , cui dictum est conforme , dependet . Dicto ultimò ; nam auctoris sapientia & bonitas etiam dat dignitatem , ut , si dicam : cur hoc dictum meretur fidem seu cur est fide dignum ? repte respondeam : quia dependet ab auctore sa-

piente & bono : Verum hæc dignitas redit tandem ad veritatem ; si enim ulterius quæro, cur dictum, dependens ab auctore sapiente & bono, meretur fidem ? recte respondeo : quia ille auctor sectatur veritatem ; non enim, quia auctor dicit, verum est dictum sed ideo dicit auctor verax, quia verum est : omne autem verum esse credendum, tam certum est , quam certum , omne honestum, esse agendum.

## §. 12.

Contra id , quod diximus , auctorem sortiri interdum auctoritatem à dicto , dictum verò ultimò eam accipere à veritate , objiciat quispiam :

Autoritas in se resultat à perfectione auctoris, ut fundamentum auctoritatis & dicti seu mandati & auctoris sit unum , nempe auctoris perfectio , quæ auctori convenit intrinsecè , dicto autem & mandato ejus extrinsece , unde nec auctor potest sortiri auctoritatem à dicto , nec dictum potest ultimò à veritate sortiri auctoritatem , sed ab auctoris perfectione & sua ab hoc dependentia . Nam licet scripto dicto conveniat quandòque perfectio intrinseca , hæc tamen vel non movet ad assensum , ut elegantia stylis : vel in se non est nota , ut veritas historica : vel si est nota , & movet ad assensum , quando nimis ex terminis vel rationibus patescit dicti conformitas cum re ; non tamen hoc ipso auctoritas sed faltem evidentiā conciliatur dicto .

Respondetur :

a. De

a. De autoritate dicti largimur, quod ea de-  
pendeat ab auctore, si veritas, dicti sit ob-  
scura, & auctoritas spectetur quoad nos; si  
sit perspicua, conciliare sibi potest dictum au-  
toritatem in se & quoad nos perfectione  
intrinseca, veritate scilicet perspicua, quia  
veritas dignum reddit dictum, cui assensus  
præstetur: dignitas vero assensus est aucto-  
ritas dicti in se, & veritas perspicua potest  
reddere dictum manifestum dignum, cui as-  
sensus præstetur, dignitas vero assensus  
manifesta est auctoritas quoad nos. Si dicas, ve-  
ritatem illam perspicuam conciliare dicto evi-  
dentiā non auctoritatem, respondetur: pos-  
to uno non excluditur alterum: conciliat sane  
evidentiā, conciliat vero & auctoritatem (ut  
demonstratum) evidentiā non repugnantem.  
Sic scriptum præclaræ eruditionis, cuius auctor  
est anonymous, magnam habere potest auctorita-  
tem non ab auctore ut ignoto, sed à veri-  
tate præclara, ita, ut si scripti anonymi veri-  
tas erudita iam ante sit cognita, dein huic  
scripto credam, vel sine veritatis novo ex-  
amine, & sic ob ejus auctoritatem, quia jam  
præclare & vere dicere supponitur.

b. Si veritas dicti non est nota, conciliat non  
quidem auctoritatem quoad nos, bene tamen  
in se, quia veritas est fundamentum digni-  
tatis fidei, ut hactenus ostensum; sic etiam  
auctoritas auctoris in se spectata dependet  
non tam à dicto, quam à scientia & amore  
veri, ideo enim dignus est, cui credamus,  
quia veritatem cognoscit & amat.

c. Hactenus de auctoritate dicti. Auctoritatem mandati quod attinet, largimur omnino quod ea semper tum in se tum quoad nos immediatè dependeat à potestate auctoris, ideo enim mandato est obsequendum, quia procedit à potestate habente i. e. ab eo, qui dominii habet jus in voluntatem nostram : Nec est quod objiciat quispiam : si mandatum sit objecti necessarii, id etiam auctoritatem sortiri ab ista objecti necessitate ; quia enim mandatum proponat per se agendum & omittendum, dignum esse obsequio nostro : sed facile reponi potest quod mandatum, si sine potestate mandantis spectatur, sit propositio significans agendum, & sic rationem mandati amittat, alias quilibet docens honesta mandaret; hinc propositio ista etiam non digna est obsequio, si obsequium sumatur *pro conformitate voluntatis nostrae, cum voluntate mandantis per mandatum declarata,* prout ante sumsimus ; sed est digna conformitate voluntatis cum objecto, nam necessitas objecti, sine respectu ad potestatem, respicit tantum voluntatem ejus, cui proponitur, non ejus, qui proponit.

Hæc de auctoritate humanæ personæ, ubi auctoritas secundario competit ei, quod eam habet dependenter ab altero, & primario ei, quod eam non habet dependenter ab altero. Nunc :

## §. 13.

β. DIVINÆ PERSONÆ AUCTORITAS contradic-

stinet.

stincta Rei autoritati, spectanda venit (uti in §. 10. num. 3. mentionem fecimus). Si igitur Persona est Deus, res vero est e. g. dictum & mandatum, Deo semper autoritas in se & quoad nos competit primariò & independenter, ideo enim est dignus & ideo cognoscitur esse dignus fide, quia natura ejus ita se habere per se, non aliunde, cognoscitur, ut nec possit fallere nec falli: dicto vero ejus auctoritas quoad nos competit secundariò, & ob dependentiam à Deo; ubi tamen notand. quod in rebus perspicuis etiam à veritate pendeat autorit dict. div. quoad nos, nam dicto Dei, quod est rerum obscurarum, credimus tantum ob dependentiam ab eo: dicto Dei vero, quod rerum est perspicuarum, credimus simul ob veritatem ex natura rei cognitam. Auctoritas vero sive dignitas fidei in se si competit dicto Dei (se cùs se habet mandatum) dependet quidem etiam à Deo sapiente & bono, ultimò tamen pender à veritate. Huc referri possunt, quæ de auctoritate dicti in se, & (s)rationem auctoritatis mandati Dei simul nosse velimus) quæ de auctoritate mandati hominis jam ante diximus: ubi discrimen inter perfectionem auctoritatis humanæ tum dicti tum mandati, ut fallibilem & limitatam, & perfectionem auctoritatis divinæ tum dicti tum mandati, ut infallibilem & illimitatam, per se patescit: homines enim in scribendo humani quid pati possunt, utut profundè docti; Principes vero, utut potentissimi & ab omni humana potestate exempti, subsunt tamen divinæ potestati, ut rationi etiam patescat illud Scripturæ Act. IV. 19.

§14.Ut

Quod si jam applicationem hujus doctrinæ ad Scripturæ  
faciamus, apparet quod competit illi auctoritas rei, personæ Divinæ, non humanæ, contradistinctæ.  
Ubi simul notandum, quod quando supra in §. 9. diximus, ex veritate & potestate Dei confici auctoritatē Scripturæ, intellexerimus auctoritatem in se; ut enim auctoritas Scripturæ quoad nos (i. e. dignitas manifesta) competit, requiritur præter hoc, quod scriptum aliquod ab auctore verace pendeat, simul nostra hujus dependentia cognitio. Quod autem hæc cognitio & hinc auctoritas quoad nos Scripturæ necessariō competit, patet ex fine Scripturæ Conf. §. 10. num. 1. hujus Cap. Quo pacto interim ista cognitio obtineri possit  
§. 17. monebimus.

Si de FUNDAMENTO AUCTORITATIS Scripturæ agendum fit, doctrina ejus ex §§. 10. 11. 12. patet, ubi de dependentia ejus agitur. Nam ea perfectio, à qua auctoritas pendet, est fundamentum auctoritatis: ipsa autem dependentia, ex qua etiam dignitas scripti suo modo resultat, non est fundamentum, sed ratio formalis, qua dignitas Scripturæ communicatur, applicatur & in Scripturam transfunditur. Patet verò simul ex dictis, quod fundamentum auctoritatis Scripturæ quoad nos proximum præter perfectionem, à qua pendet immediate, simul requirat notitiam nostram, ut fundamentum auctoritatis quoad nos proximum sit perfectio cognita; ubi tamen notitia non est causa, nec fundamentum nec pars fundamentali ut talis; exhibemus enim alteri fidem & obsequium propter perfectionem, non propter notitiam, licet non sine notitia, quæ tantum est conditio ex parte hominum

( 17 )

minum, quorum animi ad fidem & obsequium moveri debent; quando igitur perfectio scripturæ cognita reddit fundamentum proximum auctoritatis; perfectio in se sola manet fundamentum; notitia vero est saltem approximatio hujus fundamenti, hoc solum præstans, ut auctoritas præter hoc, quod est dignitas, etiam sit manifesta. Quod si tamen pars rei constitutiva dicitur, quod ingreditur definitionem rei adæquate consideratæ, non diffitendum est, quod notitia hoc modō possit dici auctoritatis quoad nos pars constitutiva; non enim possumus auctoritatem quoad nos definire, nisi adsit vox, notitiam arguens v. g. vox *manifesta* seu *cognita*.

§. 16.

EFFECTU'S Scripturæ Auctoritatis, quoad nos spe-  
ciale est *Affensus* & *Obsequium*: Obsequium quidem id-  
que irrefragabile, quatenus auctoritas nititur potestate,  
summa; assensus vero isque indubitatus, quatenus auctoritas  
nititur veracitate & veritate infallibili. Auctoritas  
autem in se & extra notitiam nostram spectata ejusmodi  
effectum non habet; quia, sicut ignoti nulla cupido, ita  
hic nullus assensus, nullum obsequium. Cæterum, qua-  
ordinem doctrinæ, auctoritas dicti assensum gignens prior  
est auctoritate mandati obsequium pariente & cognitâ  
illâ hæc facile etiam patescit, undè illam adhuc nonnihil  
collustrabimus.

§. 17.

Consideramus autem eam vel quatenus causatur as-  
sensum dictis divinis in se præstandum sine respectu ad  
alia dicta, non divina, rem salutis tamen tractantia; vel  
quatenus causatur assensum dictis divinis præ aliis rem-  
salu-

C

salutis tractantibus, non tamen divinis, dictis præstandum.  
Priori modo consideratam auctoritatem absolutè dicas  
*fidei causativam*; posteriori verò *Canonicam seu Norma-*  
*tivam*. De posteriori vide infr. §. 30. de priori §. proxim.  
18. & seqq.

## §. 18.

a. Priori modo spectata Auctoritas ut fidem causetur  
in legente, duabus opus habet propositionibus præ-  
missis, quas legens cognoscat oportet. Prior est:

*Quicquid Deus dicit, illud omnino verum  
& firmissimo assensu dignum est.*

Posterior est:

*Verba hujus Scripturae Deus dicit:*

Hinc Conclusio formalem assensum & fidem indu-  
bitatam gignens:

*E. Verba hujus Scripturae omnino vera & fir-  
missimo assensu digna sunt.*

*Major patet ex terminis:* Deus enim, ut Ens perfe-  
ctissimum, infinita polleat oportet scientia & boni-  
tate: E. & veracitate immutabili.

*Minorem cognoscendi duo suppetunt modi:* alter est  
cognoscendi eam *probabiliter*, alter *infallibiliter*:  
Cognitio hæc posterior, infallibilis nimurum, sicut  
ab intrinseca Dei testificatione pendere mox audi-  
tur, ita non abs re *fides divina* appellabitur.

## §. 19.

Hic nunc se offert initio proposita

¶

## QVÆSTIO ILLVSTRIS:

*Quo pacto quis NB. judiceratione,  
partim probabiliter, partim infallibiliter cer-  
tus esse possit, quod hac vel illa Scriptura,  
ad salutem peccatorum hominum à Deo  
inspirata, revera à Deo sit inspirata?*

Hæc quæstio cum sit bimembris, *prīus* dicemus, unde  
pateat cognitio probabilis Scripturæ *et ceteras*; *dein*  
unde *infallibilis*?

## §. 20.

a. *Qua cognitionem probabilem* varia argumenta se-  
offerunt, quæ Scholastici dicunt *motiva credibili-  
tatis*: atque hæc sunt signa seu *Criteria* Scripturæ  
nostræ, quorum in proœmio mentionem fecimus:

PRIMUM SIGNUM est: si scriptura aliqua gau-  
deat stylo majestico, solo Deo digno, *simpli* sci-  
licet, cum Deus non opus habeat ad captandos ani-  
mos lenociniis verborum, & *gravi*, cum Deus per  
nudas assertiones sine demonstratione, item per sim-  
plices præceptiones & prohibitiones, sine argumen-  
to suasorio & dis suasorio, vi suæ veracitatis & pote-  
statis, animos hominum omnium obligare possit,  
cujus stylus majestas solo Deo digna est.

SECUNDUM: si habeat formam docendi, Deo non  
indignam atque hinc non falsa seu à ratione contra-  
ria doceat; eandem licet in multis transcendat;  
imbecillitati nostrarum mentium, absque tamen  
veritatis præjudicio, sese accommodet; sit immu-  
nis ab omni malitia; atque hinc sequaces habeat  
bonos, adversarios vero vitiosos.

C 2

TER-

**TERTIUM :** si suppleat defectum rationis circa-Theologiam naturalem per omnes partes, maximè, qua tertiam partem, si præstet medium, quod infinitam D. Majestatem læsam plene expiare possit.  
conf. §. 5. & 6.

**QUARTVM :** si mirâ gaudeat efficaciâ, qua, ut alia quælibet Dei opera, auctoris sui divinitatem mirabiliter & abunde testetur.

**QUINTVM :** si sit antiqua imo antiquissima ob antiquissimam ejus indigentiam, aut si etiam nova quædam, novitatis suæ rationem habeat haud improbatum aut occultam.

**SEXTVM :** si habeat promulgationem, quæ auctorem Deum, omnibus palam testetur : si habeat propagationem & conservationem doctrinæ, Deo dignam, & auctoritate illius, non emendato rerum aliarum auxilio, nixam, e. g. si conservatio alicujus *avocyphos* miraculosa, seu ejusdem, in plures adeo nationes & linguis populosque vel homines certe, subitanea propagatio præsto sit, vel alio modo ejus universalis depravatio & interitus sit prohibitus.

**SEPTIMUM :** si habet vaticinia de rebus contingentibus ipissimo eventu probata.

**OCTAVUM :** si superstitionum aliarum refutatio hinc fieri possit.

**NONUM :** si adsint exempla vindictæ divinæ manifesta atque admiranda adversus persecutores & violatores hujus doctrinæ &c.

Quæ & similia signa, de divina alicujus scripturæ origine uno ore clamantia & à scriptoribus *veritatis religionis Christianæ* hinc inde ubertim collecta,

cta, si in aliquam scripturam junctim conspirare videat quispiam, procul dubio concipiet cognitionem de origine illius, ut non apodicticam, summe tamen probabilem & omni alia fide humanâ seu opinionâ superiorem, qua simul judicium prudens excitatitur de non aspernanda sed legenda & meditanda ista Scriptura; quod si factum sit, TESTIFICATIO INTERNA, de qua, utpote infallibilem fidem progignente, nunc dicendum est, non diu deerit. Hæc de fide probabili. Iam si minorem argumenti in §. 18. allati spectamus, non sufficit eius probabilis cognitione: de re enim tanti momenti, salutis nimirum æternæ, ut habeamus

## §. 21.

b. *Cognitionem infallibilem elaboremus oportet.* Hinc quæstio nostra illustris simul quærit de firmissima certitudine circa *Theomysticæ* Scripturæ. Huic respondendum puto, quod vix aliam progenerandæ ejusmodi notitiæ viam ratio nostra perquirere possit, quam quæ EX INTRINSECA DEI TESTIFICATIÖNE resultat. Quicquid enim fingas e. g. miracula circa lectionem Icripturæ exorta, externum alloquum ipsius Dei &c. semper ad efficaciam Dei intra hominem simul operantis ultimò confugiendum erit; siquidem omni dubitatione major certitudo adesse debeat. Miracula sane, si certo cognoscenda sint esse talia, nec forte alicujus creaturæ invisibilis glaucomata, opus habent conjuncta operatione Dei interna. Idem judicium esto de alloquio Dei externo: nam ne forte dæmonem aliquem sed ipsum Deum esse alloquii auctorem sta-

tuam, opus est interna Dei convictione, qui me de dependentia hujus sermonis à Deo reddere valeat perswasissimum pariter & certissimum.

## §. 22

Hæc verò INTRINSECA TESTIFICATIO præcipue cognoscitur posse fieri duobus modis :

a. Si directè & expressè Deus dicat quod præsens sermo à se pendeat, sique cum hoc dicto externo de præsentis sermonis ~~Geometria~~ testante efficaciam, auditorem vel lectorem convincentem, supernaturaliter conjungat, cuius rei potentiam productricem ipsi tanquam architecto animæ intelligentis omnipotenti nemo sanus abjudicaverit.

b. Si directè & expressis verbis non testetur Deus de divina verbi sui origine, verbo tamen suo efficaciam convictricem ita conjungat, ut per verbum & ejus intrinsecum motum non solum verbi veritas, sed etiam dependentia a Deo cognoscatur, quod rursus duobus modis fieri posse videtur :

(1.) Si Deus, quando verbum ipsius audio vel lego, cognoscere me prius faciat, quod sit Dei verbum, ac dein per hanc cognitionem intellectum meum ad assensum rebus in verbo repræsentatis præstandum determinet, ut ita cognitio dependentiae verbi à Deo sit ratio motiva assensus, verbo ipsi præstandi. Si enim vir, qui pollet auctoritate, ad me loquens per actum dicendi primò sui, tanquam

quam dicentis, notitiam intellectui meo potest insinuare, licet non expressè dicat, quod mihi colloquatur; si porro potest per eundem actum res significatas repræsentare, ita, ut cognitâ sermonis hujus à fide digno viro dependentia rebus istis repræsentatis assensum præstem; quidni Deo talismodi potentiam tribuam, ut, quod vir fide dignus præstat per motum sensus externi, v. g. auditus, quo cognoscimus, quod ille loquatur, hoc ipsum Deus præstare possit per motum internum?

(2.) Si Deus, quando verbum ipsius audio vel lego prius me supernaturaliter convincit de veritate rerum, in verbo exhibitarum, ac dein, per cognitam hanc convictionem supernaturalem, cognoscere me faciat verbi, per quod convinxit, divinam originem; ut adeò a sensus rebus supernaturaliter præstitus sit causa cognitionis dependentiæ verbi à Deo.

§. 23. omnia etiam libet

Quando jam de auctoritate scripturæ ut fidei cœfativa agimus, tum prior testificationis modus, quo expressè Deus dicit se dicere hoc, tum quoad posteriorem (quo sine expressis verbis cognitionem dependentiæ verbi operari potest,) alter ille, ubi cognitio dependentiæ verbi à Deo est ratio motiva assensus verbo ipsi præstandi, huc quadrat; quia uterque testificandi modus

modus facit, ut auctoritas scripturæ sit fidei causativa : alter verò modus n. 2. §. 22. ostensus, huc non pertinet, quia non est assensus rebus Scripturæ præstiti causa, sed effectus, uti ex dictis patet.

## §. 24.

Atque nunc diluescit, quam ficulnea sint commenta Scholasticorum & Sophistarum in Papatu, qui statuunt, fieri non posse, ut Scriptura moveat intellectum in assensum supernaturalem suæ à Deo dependentiæ per se immediate, nisi prius ejus dependentia à Deo, per discursum ex suprà allatis signis credibilitatis maximè ex testificatione Ecclesiæ deductum, ab intellectu cognita, (ut Scotus III. Sent. dist. 23. qu. unica §. de primo certum est &c. Biel. II Sent. dist. 23. qu. 2. a. i. juxta cum ceteris Nominalibus it. Thomistæ communiter ) vel voluntas per eundem discursum ad volendum credere & ad imperandum intellectui assensum commota sit , ut Gregorius de Valentia Tom. III. Disput. i. q. i. punct. i. iuxta cum modernis Scholasticis sentit. Vid. Mus. Introd. p. 158. & seqq.

Efficaciam sane Dei verbo superadditam legentem, vel audientem ultimo posse convincere satis ostendimus, unde incongruum erit pro vi convictrice ad signa credibilitatis ultimo configere, quasi ea fine his effectum suum consequi non valeat.

## §. 25.

De Scotti progressu in infinitum, quem loco citato circa hanc materiam metuit, nonnihil adhuc adjiciendum puto. Docet nimurum Scholasticus hic, si datur fides infusa i. e. quæ fidei ex motivis credibilitatis conquisitæ contradistinguitur & fides divina dici potest

est, alterutrum admittendum fore, quod fides illa-  
infusa intellectum vel propter testificationem Eca-  
clesiae, fide acquisita creditam, vel propter ipsam  
Dei revelantis veritatem, fide infusa creditam,  
in credendorum assensum inclinet. Si illud; de-  
pendere ait assensum fidei infusae ab assensu acqui-  
sitae, quod absurdum: sin hoc; admittendum pu-  
tat progressum in infinitum. Si enim dicas, te rema-  
liquam in Scriptura revelatam credere fide infusa, quia  
Deus revelavit rem istam, reddit quæstio, inquit: cur  
credas fide infusa Deum id revelasse? quod si dicas,  
te credere Deum id revelasse quia Deus revelavit se id  
revelasse, rursum quæri poterat: cur credas, Deum re-  
velasse se id revelasse? & sic progressum in infinitum  
datum iri. E. ad fidem acquisitam per moriva scilicet  
credibilitatis & præcipue testimonium Ecclesiae ul-  
timò confugiendum putat, relicta fide infusa. Ve-  
rum non opus erat, progressum illum metue-  
re. Quamvis enim quærenti, cur credam hoc vel il-  
lud in Scriptura revelatum, respondeam, ME CREDERE  
ID PROPTER DIVINAM REVELATIONEM; si tamen porro  
quæritur, cur credam, Deum id revelasse seu dicere quæ  
hæc Scriptura dicit? respondeo, me credere hoc pro-  
pter ipsam Scripturam, sua divina virtute per se imme-  
diatè intellectum illuminando voluntatemque moven-  
do & in consensum trahendo, citra ullius alterius ratio-  
nis assentiendi concursum, hoc in me testificantem.

## §. 26.

Non ignoro, circa hunc processum multos sibi fi-  
gere crucem, maximè si vident eos, qui scriptum spu-  
rium pro Θεονέντω amplectuntur, codem processu, ad o-  
stendendam suam certitudinem, ut ut apparentem, uti pos-  
se. Si enim e. g. ex Turca quæro, cur credat, quod in

D

Alco-

Alcorano legit, esse verum? respondere potest, quia Deus revelavit; si porro quæram, cur credat, Deum id revelasse? respondere licet, propter internum, quod sentiat, Dei per Alcoranum testimonium id fieri; cum tamen non testimonium Dei, sed vanam, ex instinctu Satanæ aut præjudicio erroneo, persuasionem habeat. Hic igitur disquirunt: *Quo pacto certitudo mea divina à Turca vana persuatione discerni possit, maximè cum Turca præjudicio valido occupatus suam persuationem eadēm constantia, ac ego meam certitudinem, ad mortem usque tueri possit?*

## §. 26.

Ad hanc questionem antequam respondeatur, sciendum, quod, licet Turca eodem processu ad stabilendam persuationem suam vanam abuti possit, ipse tamen hoc abusu suo verum hujus progressus usum non tollat. Si enim inter omnes, Dei omnipotentiam venerantes, constat quod Deus possit, per internam testificationem, de divina alicujus scripti origine certissimum reddere hominem; quæro, si istud actu præstet Deus, annon tunc homo per sensum istius testificationis ea de re sit certissimus? quod nemo sanus negaverit. Quod si jam aliud de scripti humani cuiusdam & Θεονομίᾳ illi contrarii divina origine falso persualitus itidem ad sensum internum testificationis divinæ, vi suæ persuationis, utut vanæ constantis tamen, provocet, quod fieri posse experientia testatur; annon ideo vera certitudo testificationis divinæ de scripto verè Θεονομίᾳ in priore homine tollitur? Neutiquam. Licet enim in utroque sit æque constans circa Θεονομίā persuasio (unde fit, ut uterque eodem processu iisdemq; verbis, ad stabilendam suam certitudinem seuyeram seu

ap-

apparentem, uti vel abuti possit) tamen non est aequa certa: certitudo enim & persuasio differunt; illa pertinet saltem ad veritatem, cum duo contradictoria non possint simul esse verae, nec certa; hæc vero de utraque contradictionis parte & vera & falsa haberi potest.

## §. 28.

Jam ad ipsam quæstionem in §. 25. propositam, in qua duo membræ involvuntur: *Prius*: unde cognoscam certitudinem meam divinam de ~~Scriptura~~ alicujus Scripturæ divinæ? *Posteriorius*: unde cognoscam Turcæ yanam pervasionem de ~~Scriptura~~ scripti alicujus spuri, verè ~~Scriptura~~ contrarii, Alcorani scilicet? Posterioris membra cognitione fluit ex cognitione prioris; quia enim non nisi una est *veritas*, facile appareat, *mea* certitudine incolumi, Turcæ pervasionem fore irritam. Quod igitur prius membrum ejusque quæstionem attinet, sciendum, quod nullum signum divina certitudinis ab ipsa distinctum peri debeat, cum ejus præsentia per se ipsam sentiatur; sicut nullo signo alio cognoscere opus habeo, quod cogitem, quandoquidem ipsius cogitationis præsentissimus sensus me de ejus præsentia satis convincere potest. Dicis: hunc etiam certitudinis sensum Turca urgere potest, qui tamen fallitur; unde igitur certus sum, quod nec eadem falsitas mihi usu veniat? respondeo: aut hæc objicens habet plenam certitudinem divinam, aut non habet; si habet, non opus est, eam aliunde petere, cum certitudo hæc omnem aliam superret omnemque erroris aut falsitatis formidinem excludat: si non habet dubitans nimirum, non opus habet, querere, unde cognoscat, quod suacertitudo non sit va-

ma perswasio, nullam enim habet certitudinem aut per-  
suationem, quandoquidem adhuc dubitat. Hoc igitur  
dubium, quod illum adhuc premit, ut eximatur & ad  
certitudinem divinam plenam ipse præparetur, accedat  
oportet ad signa credibilitatis, quæ si Turcam aut quem-  
vis alium de heterodoxa Scriptura sua demonstrare ne-  
quaquam posse videat, inducetur ad Scripturam no-  
stram intimius meditandam, ubi certitudo efficaciam  
divinæ, quam cum Scriptura conjunctam supponimus, eum  
non destituet.

## §. 29.

Contra *Fanaticos* quoque doctrina hæc non inutiliter adhiberi potest. Hi enim si audiunt motiva credi-  
bilitatis, fidem saltem, juxta confessionem nostram, gi-  
gnere probabilem, infallibilem verò ex testificatione Dei  
interna peti debere, suspectum reddere laborant reli-  
gionis nostræ assensum, cum videant heterodoxæ Scriptu-  
ræ assertores religiones suas eodem modo tueri posse;  
posse nimirum probabilia quoque jactitare argumenta-  
e: g. multitudinem hominum, sententiis suis adstipulan-  
tium, quale quid Turcae ostentant: posse quoque ad  
internam testificationem Dei provocare, suamque cer-  
titudinem eodem processu ac nos stabilire, hinc nullo  
fundamine nisi religionem nostram concludunt. Quibus  
reponi potest, quod suæ ipsorum rationis ductum secu-  
turi aliam infallibilis certitudinis de ~~eo omnis~~ alicujus  
scripti concipiendæ ægre inventuri sint viam, quam ha-  
ctenus demonstratam: ut igitur heterodoxi eadem  
abuti possint ad falsam religionem confirmandam, quò  
paecto tamen veritati hinc nihil decedat ex hac tenus di-  
ctis plus satis vident. Quod attinet probabilia argumen-

ta :

ta: esto quædam cum nostris quodammodo communia adversarios urgere posse, omnia tamen uno ore de veritate nostræ religionis testantia ad nullam spuriam Scripturam in quacunque gente obviam simul & iunctim quadrare, uti in nostram quadrant, inductione omnium Scripturarum spuriarum patescit.

§. 30

Cœterum duo circa præsens momentum adhuc forte quærenda expediemus : *primo* : *Quo pacto Scriptura, per vim superadditam, assensum in anima intelligentie forte operari possit?* *secundò* : *Num efficacia ista con-victrix se habeat ex parte assensus efficienter an objectivè?* Responsio ad utramque questionem exactissima peti potest ex Mus. Introd. p. 480. seqq. & 491. seqq. Paucis dicendum ad priorem questionem, quod Scriptura per efficaciam Dei verbo supperadditā mouere possit intellectum in assensum supernaturalem suā à Deo dependentiæ per modum motivi inevidentis, voluntate in consensum tracta & ad imperandum intellectui assensum supernaturaliter mota & inducta. *Quod ipsum ex indele rei substrata deductum & uberior explicatum à Muso videri potest loc. cit.* Ad posteriorem questionem dicimus, quod virtus ista se habere possit efficienter & *objectivè* : *efficienter* quidem, quatenus cum rerum speciebus per verbā impressis coniuncta intellectum in ratione principii actuum suorum completi constituit : *objectivè* vero (1.) quatenus intellectum actu determinat & cum harum non aliarum rerum speciebus impressis eum ad assensum harum non aliarum rerum supernaturalem moveret ; sicut alias species impressæ non solum efficienter sed etiam obiectivè se habent, quatenus in-

tellectum determinant ad producendam cognitionem cuius terminus productus sit huius non alterius rei imago. (2.) quatenus id ipsum confert, quod alias obiectum vi suæ rationis obiectivæ conferre debebat, seu quatenus complet Scripturam, ut sit objectum formale fidei infallibilis, quod sine efficacia ista superaddita non poterat præstari, quod notandum itidem contra Pontificios, qui vim illam divinam ad rationem objectivam pertinere posse negant, ut simul negare possint, eam pertinere ad rationem objectivam formalem, quo testimonium Ecclesiae, tanquam ultimum refugium, eo commodius hoc trahere liceat, sicut fraudes eorum circa hanc doctrinam probè detexit B. Mus. I. cit. p. 462.463. Prout haec tenus auctoritatem Scripturæ priori modo & absolute spectavimus, quatenus fidem in se causatur, ita (ut supra §. 17 monuimus) in præsentiarum quoque spestandam ipsam sumemus.

**B** Posteriori modo, comparatè scilicet, quatenus præ ceteris dictis non ~~convenientibus~~, rem salutis tamen tractantibus fidem causari potest, adeò ut, si dicta illa huic Scripturæ non consentiant, rejicienda sint, unde auctoritas Scripturæ resultat canonica seu normativa. Diximus autem hanc auctoritatem canonicam seu normativam, quia juxta hujus Scripturæ veritatem, tanquam normam aut regulam, reliquorum salutem concernentium scriptorum veritas dicto modo normanda est. Hæc auctoritas quoad rem spectata ab auctoritate fidei causativa haec tenus considerata non differt: eadem enim dignitas, quæ movet ad assensum absolutè spectatum, mouet etiam ad assensum comparate & respectu aliarum Scriptura-

pturatum, juxta hanc Scripturam normandarum, consideratum. Quæ igitur de auctoritate fidei causativa hactenus diximus, ea facile ad normativam applicari possunt, quod scilicet oriatur à dependentia à Deo & fidetur probabili tum infallibili cognosci possit &c. Hoc superest discriminis, quod auctoritas prior non solum in textu Θεοπνέω sed in versionibus etiam vim suam exercere possit: posterior verò tantum in textu Θεοπνέω spectetur. Illa enim se exerit per sensum, qui in textu Θεοπνέω & versionibus idem esse potest: hæc verò suum officium vix præstat, nisi per verba Θεοπνέω & sensum Θεοπνέω simul. Ut enim scriptum aliquod sit norma aliorum & quidem certa, requiritur certitudo eius etiam ex parte verborum, quo omne periculum erroris exulet: hæc autem certitudo, cum, qua Scripturam nostram, infallibilis requiratur, non dabitur nisi in textu Θεοπνέω, quandoquidem versiones humanæ facile humanum quid pati queant.

## S. 32.

Disquirendum igitur, unde hunc hujus idiomatis textum cognoscam esse Θεοπνέω? ubi facile appareat, quod si tota Scriptura quoad materiale & formale Θεοπνέω supponatur, textus primigenius habendus sit pro Θεοπνέω. Quando verò, quis ille sit quisve eum primitus consignaverit, inquiritur, habemus questionem facti, de quo facto, tanquam re sensibili, experientia testari potest, quæ si propria non adsit, credendum est experientia eorum, qui propriam nobiscum communicant scripta vel avthentica vel διτονεγρα exhibentes, ubi certitudo moralis sufficit: sufficit, inquam, moraliter certum esse, quod hic vel ille textus Scriptu-

ra Θεοπνέυστος sit primigenius. Quando jam accedit di-  
vina ac infallibilis certitudo de hoc, quod textus primi-  
genius sit Θείου διδός (quae certitudo oriri potest, si Deus  
de Θεοπνέυστος totius Scripturæ per ipsam istam Scripturam  
cum intrinseca efficacia conjunctam testetur) oritur con-  
clusio fidei divinæ, quod hic vel ille textus sit Θεοπνέυ-  
στος. Argumentum erit tale:

O. textus hujus codicis primigenius est  
Θεοπνέυστος.

Atque hic vel ille textus hujus Scripturæ est  
primigenius. E.

*Major* est certitudinis divinæ, posito, quod eam  
dicto modo Scriptura Θεοπνέυστος revelaverit.

*Minor* est certitudinis moraliter evidentis.

*Conclusio* interim manet fidei divinæ;

nam ex una præmissa revelata & altera natura-  
liter evidente, sequitur conclusio revelata & fi-  
de divina credenda, uti inferius patebit Sect. 2. §. 10.

### S. 33.

Ex hactenus dictis patet SEPTIMA AFFECTIO SCRIP-  
TURÆ, nempe EFFICACIA. Si enim scriptura ad finem  
suum consequendum auctoritatem suam statuminare sup-  
ponatur, opus est, ut homo ejus res certò & infallibili-  
ter cognoscat, quod sine efficacia fieri non posse dictum  
est hactenus. Interim tamen efficacia cum auctoritate  
non coincidit, utut cum ea in progignenda fide divina  
conjungatur. Auctoritas enim (1) est dignitas Scripturæ  
ex cognitâ ejus dependentia à Deo resultans; effi-  
cacia verò est vis quædam Dei activa, intellectum & vo-  
luntatem commovens. (2.) Auctoritas non nisi cognita  
& objectivè; efficacia verò etiam non cognita & efficien-  
ter ad actus suos se habet.

§. 34. Af-

AFFECTIONEM VLTIMAM SCRIPTURE, NECESSITATEM scilicet, nunc spectamus ; quæ probari potest ex causa ejus finali , salute nim. hominum æterna , quæ sicut totius humani generis scopus ultimus est, ita cum ad hunc non nisi ductu divinæ revelationis pertingere nos posse, in priori dissertatione, sub initium hujus opellæ, citata ostensum sit, sponte sua summa revelationis necessitas consequitur. Überiorem de hac necessitate, tum ex nostra indigentia tum ex Dei benignitate prolixè deducta, doctrinam exhibet CL. Placcius in Fructu Philosoph. Mor.

## SECTIO II.

De

### Scripturæ S. Tractatione.

S. I.

**I**riplicem cumprimis modum, quo Scripturam nostram tractari posse patescit, spectabimus : primus concernit EXPLICATIONEM : alter PROBATIONEM : tertius APPLICATIONEM.

I. EXPLICATIO fieri potest partim juxta regulas Hermenevitæ generalis, quæ omnes cujuscunque lingvæ textus explicare docet, cuius disciplinæ in formam scientiæ effectivæ redactæ ideam *Tabulis nostris Hermenevitæ* exhibuimus : partim juxta regulas Hermenevitæ specialis i. e. ad lingvam illam, qua Deus inspiravit Scripturam & modum interpretandi, fortè in ista ipsa Scriptura præscriptum, accommodatae.

E

S. 2. Im-

Imprimis circa Mysteriorum, si quæ occurrant, explicationem observandum, tamdiu propriæ verborum significationi esse inhærendum, quamdiu non contextus manifestus, aut materia substrata, aut loca parallela clariora, aut scopus, aut expressa ac sole clarior contradictione, aut similes circumstantiæ significationi propriæ apertissime repugnant; nisi enim hanc regulam, ratione naturali intelligendi fundatam, sequi velimus, periculum est, ne incauti obvium forte mysterium prætereamus; mysteriorum enim significatio est remotior ab ingenio nostro & conditione aliarum rerum, quibus assuevimus; immo nulla aliæ indigentia nostræ dabitur certitudo: naturalis certè ratio intelligendi iubet ad eum attendere sensum, quem secundum communem verborum usum & significationem omnes concipiunt aut conciperent.

2. PROBATIO est actus, quo aliquid ex alio velut conclusio ex præmissis deducitur. Spectatur vero probatio hec idèo, quia sicut aliæ ex scriptis autoritatem habentibus varias propositiones in textu formaliter non existentes per modum conclusionum probare possumus, ita, si quæ in Scriptura ad salutem pertinentia, nec tamen *την προτότοκην*, verum *την Διάβολον* scripta occurrant, probationis beneficio hic extrahantur oportet. Huc refer quæ supra de auctoritate normativa diximus.

Est vero Probatio vel veritatis vel falsitatis. *Probatio falsitatis* est refutatio, qua præcipue opus est, si qui eandem Scripturam amplectentes, contrarias tamen attinentes salutem, sententias ex ea eliciant ac foveant:

Ubi

Ubi non opus est iudice personali auctoritativo ( quod contra Pontificios observandum ) si quidem ipsa Scriptura litem dirimere possit, observatis tamen sequentibus regulis :

- a. *Controvertentes pias ac eruditas mentes sine prejudgetis ac studio partium afferant. Pietas requiritur, ut veritatem exquirere velint : Eruditio, ut possint : absentia praeiudicii, ut velint & possint simul.*
- b. *Statum questionis exacte forment & rem propriis phrasibus sine ambiguitate exprimant, depositis iis, quorum lis est in voce, consensus in re ; ut copia controversiarum imminuatur.*
- c. *Sententias contrarias cum Scripturis conferant, ut vel ex claris & expressis verbis, vel per bonam consequentiam, ex claris & expressis verbis juxta directas analogicas deductam, pateat, hanc sententiam salutem attinentem, esse Scriptura conformem, illam differem. Sic principium Theologiae vigore suo intermerato gauder. Ceterum quo pacto principia rationis hic simul adhiberi debeant, mox dicemus.*

### §. 5.

Quod attinet probationem veritatis, circa eam observamus : si conclusiones probatae in ordinem & methodum disciplinarem redigantur, habitus earum potest dici THEOLOGIA REVELATA, cuius principium est Scriptura. Theologia appellari potest iste habitus, quia via eius homines divinas verē promtēq; & methodice cognoscit, docet ac defendit : *Revelata* verō audit, quia conclusiones ejus omnes sunt revelatae, sive fluant ex præmissis, quæ in Scriptura omnes existunt, sive ex præmissis quarum altera ex Scriptura, altera ex natura depromta est. Vid. §. 10. hujus Sect.

E 2

§. 6. Di-

Dixi in §. præcedente in methodum *disciplinarem*, conclusiones illas posse redigi : Quæritur igitur, quæ præcipuè methodus, quæ species habitus mentis hoc commode trahi possit ? Ubi responderetur, quando scientia est habitus, conclusiones firmissimas ex principiis firmissimis deductas continens, rectè dici posse Theologiam revelatam *Scientiam*: quia præmissæ ejus omnes sunt certissimæ, utpote à Deo vel lumine naturæ aliqua ex parte pendentes, ut ante dictum: Quando vero ad scientiam cum Aristotele requiras principia evidencia, Theologia hæc non tam erit scientia, quam habitus scientiæ *αὐθλογία* seu scientia, si non strictè, tamen laxè dicta ; præmissas enim ejus, ob defectum rationis revelatas, rationi fore omnes evidentes non est consentaneum. Vid. B. Baj. Comp. Th. Pos. in Prol. cap. 1. §. 15. lit. b. p. m. 27. seqq.

## §. 7.

Methodus igitur hujus Theologiæ erit *scientifica*, & si quidem principium ejus proponit credenda & agenda, conclusiones erunt vel formaliter vel virtualiter practicæ : unde tractabitur per modum scientiarum practicarum, uti quicquid hujus rei est, ex Mus. Introd. & Baj. cit. Prolegom. addisci potest.

## §. 8.

Dixi in §. 5. principium hujus Theologiæ esse Scripturam & paulo post subjici, conclusiones ejus interdum præmissam ex lumine naturæ petitam requirere, quæritur igitur : *anon lumen nature etiam possit dici principium Theologie Revelatæ*. Ad hanc quæstionem extiendam, sciendum quod lumen naturæ tum principia ratio-

rationis *formalia* i. e. modum nestendi consequentias seu rationem syllogismorum, tum *materialia* i. e. præmissas quasdam seu majorem seu minorem subministrare possit huic Theologiæ Rev. ut tamen sola Scriptura principium Theologiæ Revelatæ absolutè loquendo dicenda sit. Nam licet præmissa, ex lumine naturæ nota, etiam suo modo conclusionis Theologiæ Revelatæ principium appellari possit ( quatenus omnis propositio, ex qua tanquam ex principio materiali conclusio pendet, dicitur ejus principium ) tamen absolutè loquendo principium ejus non dicetur. Quando enim in aliqua disciplina principium disciplinæ proprium cum principio communi ad conficiendam conclusionem, concurrit, tunc proprium dicitur absolutè principium conclusiōis istius : <sup>nam ut conclusio fit hujus disciplinæ e. g.</sup> Theologiæ revelatæ, non habet à communi sed a proprio principio.

## S. 9.

Hoc interim observandum, quod rationi materia-  
lia sua principia pro lubitu obtrudere Theologiæ Rev.  
non liceat, sed sequentes cautelas sectetur opus sit :

a. Si principia rationis materialia sint particularia, aut  
singularia sub principio universali Theologie subsumi  
debent.

b. Ea universalia principia rationis materialia, loco  
Majoris propositionis, adhiberi oportet, que absolutæ  
necessitatis sunt, ita ut ipsorum contrarium contra-  
dictionem sole clariorem importet. Cujusmodi sunt,  
quorum prædicatum ita ad subiectum pertinet, ut  
contra naturæ subiecti destructionem non possit pro-

libitu adesse vel abesse. Si enim Principia rationis assumantur, quæ non sunt absolutæ necessitatis, sed saltem naturaliter aliter se habere nequeunt, per Dei tamen potentiam mutari possunt. v.g., nulla virgo parit : ignis applicatus urit ; contingere potest, ut conclusio revelationi rerum, ab infinita Dei potentia dependentium, adversa inferatur : id quod contra Socinianos aliosque rationi nimis indulgentes observandum.

## §. 10.

Circa propositiones, in Theologia hactenus memorata obvias, adhuc notandum, quod quædam possint esse tantum ex revelatione notæ, quas dixeris *merè Theologicas*; quædam verò simul ex lumine naturæ possint innoscere, quas *Theologicas mixtas* appellaveris : unde porrò monemus, ut iam supra monuimus, quod quædam conclusiones ex merè Theologicis præmissis, quædam verò ex præmissis, una merè Theologica, altera verò ex ratione petita, emergere possint, ubi utraque nihilominus conclusio revelata & (*ni fortè ex aliis præmissis purè naturalibus simul patescit conclusio*) merè Theologica est dicenda, quandoquidem ex lumine naturæ nullatenus constat. Vid. *Mus.* in tractatu de *usu principi. rationis in theol.* lib. 2. cap. 13. seqq. Dico notanter, *ni conclusio fortè ex aliis præmissis purè naturalibus patescit* ; sicut enim unius rei variæ possunt esse rationes, ita unius conclusionis variæ possunt esse præmissæ ; potest igitur evenire, ut ex præmissis merè revelatis conclusio revelata quidem, non tamen merè Theologica, sed mixta oriatur, si scilicet ea etiam ex præmissis ratione cognoscibilibus patescat e. g. O.

in Christum finaliter credens est mortalis. Q. homo credit finaliter in Christum. E. Q. homo est mortalis Hæ præmissæ sunt revelatae : Major quidem quia fides non Angelo sed soli homni peccatori Ebr. I. 16. & sic mortali Rom. V. 12. tradita asseritur. Minor patet exemplo Pauli Rom. VIII. 38. Quandoquidem vero præmissæ hæ agunt de fide in Christum, non possunt non esse merè Theologicæ. Conclusio vero est mixta, quia ex præmissis purè naturalibus etiam patescit hoc modo : Quic. moritur, est mortalis. Q. Homo moritur. E. &c. Major patet ex axiomate Metaphysico : ab Esse ad posse v. c. Minor patet ex sensu & experientia. Spectavimus huc usque Probationem *in genere* : potest vero etiam ita spectari, ut conclusio ejus præcisè ad *individuum* aliquod dirigatur, quæ potest dici

## §. II.

3. APPlicatio. Nimirum cum non opus sit ut omnia hominum salvandorum nomina in Scriptura exprimantur & sua cuique credenda vel agenda præscribantur, quandoquidem id fieri possit propositionibus universalibus, quas quilibet ratione possens, vi naturalis Logicæ, in dicto de O. & N. fundatae, ad se applicari queat ; appareat, hanc applicationem fieri posse, si Lector universales promissiones, correctiones & adhortationes ad se determinans certam fiduciam, resipiscientiam & piezatem suscipiat.

## §. 12.

Atque huic Scripturæ S. tractationi eò fervidiorem, hodie navemus operam, quò verius in hanc ultimam rerum tempestatem dicta sentimus illa Spanheimii (in Elench. Controv. p. 252.) Nihil, inquietis, ab Atheis blasphemis.

phemum, a Scepticis dubium, a Judæis injurium in Christum, a Gnosticis vel Manicheis impurum, a Libertinis flagitiosum, ab Epicuræis profanum, a Fanaticis portentosum, ab amentibus & deliris vœsanum, prodiit unquam, quod non postrema hæc ætas recixerit. Nimirum

Ventum ad supremum est, nec jam meliora  
sequentur,

Donec ad adventum, maxime Christe,  
Tuum;

S. D. G.




Fc 2757

(x2861714)

KG





JOHANNIS JACOBI  
LUNGERSHAUSII,

In Acad. Jenens. Prof. Publ. & Eccles. ministr.

JUDICIUM NATURÆ  
DE  
NATURA SCRIP-  
PTURÆ.

DUABILIS PARTIBUS COMPREHENSUM

ubi simul

IN ALTERA PARTE

quaestio momentosa ventilatur:

*Quo pacto NB. judice ratione, partim proba-  
biliter, partim infallibiliter aliquis queat es-  
se certus, quod, si scriptum aliquod a D<sup>E</sup>O  
pro salute hominum peccatorum tradi-  
tum sit, illud revera sit a D<sup>E</sup>O  
traditum?*

JENÆ, Typis CHRISTOPH. KREBSII.  
Anno 1708.

*dæ: 4*